DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

DE

BEDAE VENERABILIS,

PRESBYTERI ANGLO-SAXONIS,

VITA ET SCRIPTIS.

DISPUTATIO

HISTORICO-THEOLOGICA

DE

BEDAE VENERABILIS,

PRESBYTERI ANGLO-SAXONIS,

VITA ET SCRIPTIS,

AUCTORE

Hendrik

HENRICO GEHLE,

THEOL. DOCT.,

INSTIT. REGII NEERLAND. CORRESPOND., INSTIT. REG. LITER.
LOND. SOC., LEGATIONIS NEERLAND. IN MAGN. BRITANN.
CAPELLAN., ET ECCL. LONDINO-BELGICAE V. D. M.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD S. & J. LUCHTMANS.

ACAD. TYPOGRAPHOS.

MDCCCXXXVIII.

Gift
Benjamin Lorm

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PRAEFATIO.

Quae hic praemoneam, perpauca sunt. Ad summos in Academia Lugduno-Batava, *ubi abhinc annos octo studiorum cursum confecisse mihi gratulor, honores in Theologia obtinendos, hanc Disputationem conscribere et virorum clarissimorum, quibus docendi provincia delata est, judicio submittere, ut ex lege debebam, ita magnae mihi erat voluptati. Hoc autem consilio* Londino, *ubi ab eo tempore munere sacro apud Nostrates functus sum, hanc in urbem redux, dicere non possum, quam dulce mihi, quam jucundissimae recordationis plenum fuerit, vetera ista revisere loca, quae in mentem mihi revocant adolescentiae annos felicissime peractos. Ver-*

ba desunt, quibus enuntiem, quam suavem sensum animo perceperim, quum ad veneranda illa limina denuo accedere mihi liceret, ubi per sexennium fere optimos in nostra disciplina magistros audire et convenire mihi contigisset. Stet, precor, haec alma doctrinae, elegantiae et humanitatis sedes diu incolumis, sitque perpetuo, quod semper fuit, Patriae lux, gloria, decus!

Quum de BEDA Venerabili *scribere constitueram, hoc ita perficere in animo habebam, ut, post vitam hujus viri breviter enarratam, praecipue de ejus doctrina et meritis et efficacitate in suam aetatem agerem. Non longe tamen processeram, quum satis manifestum mihi erat, rationem prorsus aliam ineundam esse. Nimirum variae difficultates mihi obviae erant, quas amovendas esse videbam, priusquam tuto progredi possem. Tantopere enim eos, qui de* BEDAE *vita scripserunt, inter se discrepare reperi, ut, ad eam bene et accurate exponendam, majori diligentia et longiori disquisitione opus esse videretur. Inter scripta quoque, quae vulgo eum auctorem habuisse putantur ejusque nomine crebro edita sunt, multa esse deprehendi, quae vel suspectae sint fidei, vel omnino temere ei adfingantur. Ex incomposita vero ista librorum farragine, quae* BEDAE *nomine undecunque congesta est, si ejus doctrinam et merita colligere velimus, iniquissime*

profecto cum illo actum sit. Quapropter mei esse censui, ut penitius investigarem, quaenam revera ab eo scripta, quaenam dubia vel spuria habenda sint. Quod quidem eo lubentius peregi, quoniam criminationes plerasque, quibus nonnulli severioris ingenii censores in eum invecti sunt, maximam partem ex fraude ei facta originem duxisse animadverteram. Praeterea officium mihi impositum judicabam cum in operum, quae sine dubio a BEDA *profecta sunt, et consilium et argumentum inquirendi, tum vero tempora, quantum copia erat, notandi, quibus singula sunt elaborata.*

Jam ex iis, quae diximus, satis intelligitur ipsa instituti mei ratio. Quae de BEDAE Vita *et* Scriptis *nonnihil lucis adferre posse putabam, colligere, discernere meumque in usum convertere studui. Quosnam fontes et libros eo adhibuerim, suo loco indicavi.*

Ceterum a me impetrare non possum, ut praefandi finem faciam, priusquam vos adpellaverim, Viri Celeberrimi, CLARISSE, VAN HENGEL, KIST! *qui Facultatem Theologicam in hac Academia illustratis. Probe quidem sentio, meo praeconio nec amplificari neque ornari posse nominum vestrorum claritatem. Sed uti me insigni et plane singulari prosecuti estis benevolentia, sic nihil mihi sanctius est, quam pro tantis, quae in me contulistis,*

beneficiis gratum vobis animum testificari. Tibi autem, Clarissime VAN HENGEL! *multum insuper debeo, quod te habui Promotorem, qui auxilio tuo mihi prodesse nunquam recusares. Vos vero omnes, Viri Clarissimi, diu in salutem Academiae et gloriam Patriae servet Deus Optimus Maximus salvos atque incolumes!*

Scripsi Lugd. Batav. *Idib. Octobr.* MDCCCXXXVIII.

PARS PRIOR.

VITA BEDAE.

Nullus fortasse Scriptor paulo celebrior est, cujus vitae temporis injuria tantas tenebras obduxerit, quantis involutam esse reperimus vitam BEDAE, Presbyteri *Anglo-Saxonis*, cui cognomen *Venerabilis*. Nimirum valde inter se repugnant, quae de hujus viri natalibus, de muneribus ab eo gestis, deque ejus morte memoriae tradita sunt. Et variae quidem hujus rei sunt causae: Scriptorum paucitas et negligentia, turbida temporum ratio, ipsius viri modestia plane singularis, qua lucem et celebritatem hominum fugeret.

Ut autem vera a falsis, certa ab incertis distinguantur, omnino ad ea, quae BEDA de se ipse scripsit, adtendendum est. Haec vero quum paucissima tantum sint, alios quoque Scriptores, et eos quidem imprimis, qui BEDAM proxime secuti sunt, adire et consulere nobis opus erit, ut inde suppleamus, quae hic deficiunt. Qua tamen in re caute versabimur. Alii enim alios, ad verba interdum, descripserunt, et generatim tanta fuit eorum incuria, ut vix ullum invenias, quem tuto ducem sequaris. Nobis igitur ita agendum erit, ut

eorum, quae de se ipse tradidit BEDA, praecipue rationem habeamus, Scriptorum vero post eum narrationes et testimonia colligere et cum illis comparare, discrepantias, ubi fieri potest, tollere, aut quid de his tenendum verique simillimum sit, ostendere conemur.

Jam de eo disputatum est, quonam ex populo BEDA ortus sit. HECTOR BOETHIUS narrat: «*Italiam* cum *Albione* de BEDAE incunabilis contendere, adserentibus *Italis* ipsum, *Genuae* natum, ibi denique ultimam solvisse naturae necessitatem, sepulcrumque ejus in rei fidem hactenus eadem in civitate cunctis haberi venerabile.» Addit autem: «undecunque traxerit originem, et ubicunque mortuus fuerit, satis tamen constare ex ejus et aliorum scriptis, adolescentem eum in *Italia*, senem in *Northumbria*, frequentius inter piorum coetum *Melros* (Abbatiae monachorumque coenobii id nomen est in *Scotorum* agro, maxime piis et religioni devotis viris semper insignis) habitasse, versatumque esse» (1). Hanc

(1) Vid. HECTOR BOETHIUS *Deidonanus* in *Scotorum Hist. a prima gentis origine*, Par. 1574. Lib. IX. pag. 181. Excitantur quoque ab J. WARAEO in Praef. ad *Opusc. Bedae* Dublin. 1664, RAPHAEL *Volaterranus*, qui in *Comment. Urbanorum* Lib. XIV. sepulcrum BEDAE *Genuae* in *Italia* ostendi refert; et longe ante eum HONORIUS *Augustodunensis*, qui init. Lib. IV. *de Scriptorib. Eccles.*, BEDAM *Romae* mortuum et sepultum dicit. Exstat etiam narratio quaedam de BEDA *Romae* sepulto in Basilica *Vaticana*, de quo Romanus Canonicus S. PETRI apud MABILLONIUM: «*Requiescit etiam ante portam argenteam, sub rota scilicet porphyretica, ut a nostris majoribus accepimus, Venerabilis Presbyter* BEDA, *qui fecit homilias: et ob ejus reverentiam antiqui nostri penitus non transibant per eam, nec nos transire permittebant.*» Sunt et qui *Saxo-Germanum* eum fuisse dicant, ut F. LANGEN et ENGELHUSIUS, apud MEIBOMIUM, Tom. I. *Rerum Germanicarum* pag. 809. Cf. FABR. *Bibl. Med. Aet.* Vol. I. Lib. II. pag. 495.

sententiam, quamvis ex BEDAE certe scriptis probari nequit, ex parte suam fecit DEMPSTERUS, eumque inter viros doctos *Scotiae* recensuit, quippe quem putabat vitae partem ibi degisse (1). Sed hunc manifestum errorem esse, ipsa BEDAE scripta perspicue docent. Originem autem inde duxisse videtur, quod *Scoti* in BEDAE libris frequenter memorantur (2).

Quod porro in disceptationem vocatum est, fueritne BEDA *Italus* an *Anglus*, facile dirimere posse nobis videmur. Probabilius quidem est, quod alios secutus in medium affert DEMPSTERUS, duos ejusdem nominis et aetatis fuisse BEDAS, alterum *Britannum*, alterum *Ligurem*, quos quum eodem de argumento scripsissent, re-

(1) «BEDAM etsi omnes *Anglum* faciunt, reperio tamen, eum nec *Anglum* domo, nec *Scotum*, sed in *Scotia* diu vixisse, in *Anglia* diem supremum obiisse.» T. DEMPSTER *Hist. Eccl. gentis Scotorum*, Edinb. 1829. Tom. I. Lib. II. pag. 69. Sunt et alii, quos inter celebres gentis suae viros falso enumerat, ut ALBANUS, et ADRIANUS Papa. Lege, si placet, de hoc Scriptore judicium BROUKHUSII *ad Tibull.* Lib. I. Eleg. 7. v. 53, et BURMANNI *Secundi* pag. 11. Praef. *in Claudianum*.

(2) Vehementer in BOETHIUM invehitur J. LELANDUS in *Comm. de Script. Brit.* Oxon. 1709. Cap. 87. pag. 118. «HECTOR BOETHIUS *Scotus*, inquit, omnium, qui umquam historiam scripserunt, longe vanissimus, tam stulte, tam inepte, tam aniliter de BEDA fabulatur, ut risum mihi moveat simul, et stomachum.» — Ceterum BOETHIUM, cum diceret BEDAM frequenter in monasterio *Melrosensi* habitasse, deceptum esse puto cursim legendis iis, quae passim tradit BEDA, v. g. in vita CUTHBERTI Cap. 16 et 22 in fine. Certe haud insolitum erat eo tempore, ut in *Scotia* tum Episcopi et monachi, ut ipse CUTHBERTUS, tum reges aliique educarentur. Vid. etiam GULIEL. *Malmesb.* in *Coll. Script. post Bed.* Francof. 1601. Lib. I. Cap. 3. pag. 18. in fine. Quid? quod ipsa *Scotiae* regio meridionalis pars erat *Northumbrorum* regni? quare et GULIELMUS *Malmesburiensis* et GULIELMUS *Westmonasteriensis* eum prope *Scotiam* natum esse dicunt.

centior aetas confuderit. Neque tamen hoc verum est: nam rectissime jam monuit MABILLONIUS (1), tres fuisse BEDAS, haud longo temporis intervallo a se invicem distantes. Primus BEDA, Presbyter et Monachus *Lindisfarnensis*, BEDA *Venerabili* antiquior et ab eo laudatus (2); postremum BEDAM, Monachum, CAROLI MAGNI aequalem celebrant *Genuenses* (3). Medius inter utrumque, sed utroque illustrior fuit BEDA *Venerabilis*, de quo nos agimus. Atque hunc maximo suo sibi jure *Anglia* vindicat, ut ex sequentibus satis superque apparebit.

Ipse BEDA refert se natum esse in territorio monasterii beatorum Apostolorum PETRI et PAULI, quod est ad *Wiraemutham* et *Ingyrvum* (4). Quae tamen generatim sunt dicta, neque multum afferunt lucis. Accuratius definit locum GULIELMUS *Malmesburiensis*, omnium veterum de rebus *Anglicis* Scriptorum post BEDAM optimus fideque dignissimus. «*Britannia*, inquit, quae a quibusdam alter orbis appellatur, quod Oceano interfusa non multis Cosmographis comperta est, habet in remotissima sui plaga locum, ubi natus et educatus est

---

(1) MABILL. in *Act. Benedict.* Sect. III. Part. 1.

(2) In libro *de vita* S. CUTHBERTI Cap. 37. BEDAE Oper. Colon. 1612 et 1688. Tom. III. pag. 179. Hujus Episcopi familiaritate utebatur eique morienti aderat. Vid. hujus BEDAE Epitaphium in MABILL. *Analect. Vet.* Tom. IV. pag. 521. Edit. Par. p. 381., unde apparet, eum anno 681 mortuum esse.

(3) Egit de eo MABILL. in *Act. Bened.* Sec. IV et *Itin. Italico* pag. 144. Ceterum non opus est hic monere de BEDA illo, qui Sec. XVI. acerrimus ERASMI et FABRI *Stapulensis* exstitit adversarius. — FABR. *Bibl. Lat. Med. et Inf. Aet.* Vol. I. Lib. II. pag. 522.

(4) Oper. Tom. III. pag. 151. *Hist. Eccl.* Edit. SMITH Cantab. 1722. pag. 222.

BEDA, *Scotiae* propinquum. Plaga olim et suave halantibus monasteriorum floribus dulcis, et urbium a *Romanis* aedificatarum frequentia renidens; nunc vel antiquo *Danorum* vel recenti *Normannorum* populatu nihil, quod multum animos alliciat, praetendit. Ibi est *Wira*, nec egenae latitudinis, nec segnis gurgitis amnis, qui pelago influus naves, serena invectas aura, placido otii excipit gremio. Cujus utrasque ripas BENEDICTUS quidam ecclesiis insignivit, et monasteria ibidem construxit, alterum PETRI, alterum PAULI nomine, caritatis et regulae unione non discrepantia» (1). Sic ille. Terra autem, quam memorat, pertinuit ad illam Heptarchiae *Anglo-Saxonum* regionem, quae *Nordan-Humbria* sive *Northumbria* dicebatur. Et hoc quidem septem regnorum maximum erat, inque duas partes majores, *Deïram* atque *Berniciam*, divisum: ambitu suo sex, ut nunc sunt, *Angliae* comitatus (2) partemque *Scotiae* hodiernae usque ad fretum *Edinburgense* (3) complectebatur. Utriusque provinciae, antea duobus regibus subjectae, regnum conjunxit OSWIUS, cui anno 670 successit EGFRIDUS filius (4). Quarto hujus regis anno BISCOPUS quidam, cognomine BENEDICTUS (5), ad-

(1) GUL. *Malmesb.* de *Gestis Regum Anglorum* Lib. I. C. 3. p. 21. in *Coll. Script. post Bedam.*

(2) *Northumberland*, *Durham*, *Cumberland*, *Westmoreland*, *Yorkshire*, *Lancashire.*

(3) Antiquitus *Bodotria Aestuarium*, hodie *Frith of Forth* dictum.

(4) GUL. *Malmesb.* de *Gest. Reg. Angl.* Lib. I. C. 3. pag. 20. BEDA *Hist. Eccl.* L. IV. C. 5. pag. 88. Oper. Tom. III.

(5) Bene distinguendus a notiore illo BENEDICTO *Nursino*, qui in monte *Cassinensi* anno 529 novum monachorum ordinem con-

juvante terrasque largiente ipso EGFRIDO, construxit monasterium S. PETRI prope ostium fluminis *Wiri* seu *Wirae*, in ripa septentrionali, inde *Wiremuthense* (*Weremouth*) dictum, anno 674. Octo annis post (1),

---

didit. BENEDICTUS hic BISCOPUS OSWIO regi fuerat minister, qualem *Saxones* Thanum (*thegn* et *cynninges thegnas*, thani regii), *Normanni* Baronem vocant; deinde vero militiam et rerum civilium studia relinquens, omnes vires vitae monasticae provehendae impendit. BEDAE *Hist. Abbatum Wiremuthensium et Girwiensium*, editionis a J. WARAEO Dubl. 1664, quae repetita est ab H. WHARTONO. Lond. 1693. Lib. I. pag. 222.

(1) Recte hoc statuere nobis videmur, quamvis alii aliter. Nimirum exstat vetus inscriptio, parieti ecclesiae *Girvicnsis* quondam insculpta, hunc in modum:

DEDICATIO BASILICAE
S. PAULI VIII KAL. MAJI
ANNO XV EGFRIDI REGIS
CEOLFRIDI ABB. EJUSDEMQUE
ECCLESIAE DEO AUCTORE
CONDITORIS ANNO IV.

Quae verba cum indicent annum ecclesiae dedicatae, non vero monasterii conditi, satis apparet, unde Scriptor in *Biogr. Brit.* (Dr. CAMPBELL, ni fallor) hisce confundendis, in errorem induci se passus sit. Conf. quoque SMITH p. 269 in not. Ipso autem BEDA auctore in *Hist. de Vit. Abb.* l. l. hanc facimus computationem. Prius monasterium S. PETRI constructum est anno 674, EGFRIDI regis quarto, p. 224 Edit. WHART.; octo annos solus illud rexit BENEDICTUS, usque dum, condito altero monasterio S. PAULI, A. 682, huic CEOLFRIDUM, illi EASTERWINUM praeficeret, utrumque Abbatem constituens sibi submissum, p. 227. Cum EASTERWINO primum quatuor, dehinc cum SIGFRIDO tres, denique cum CEOLFRIDO unum annum Abbatis officio functus mortuusque est A. 690, sedecim annis postquam monasterium S. PETRI fundaverat, p. 233. CEOLFRIDUS autem, postquam septem annos monasterio S. PAULI praefuerat, id est, usque ad A. 689, utriusque monasterii Abbas creatus est; quam dignitatem tenuit annos duodetriginta p. 234. Cum his omnibus vide, quam egregie congruant,

terrarum possessione novo regis dono insigniter aucta, alterum condidit monasterium PAULO Apostolo dedicatum, in loco, cui tunc nomen *Gyrwy*, hodie *Jarrow*, juxta *Tinam* fluvium (1). Utrumque monasterium rexit BENEDICTUS, duos tamen Abbates, CEOLFRIDUM et EASTERWINUM sibi submissos constituit, ut, teste BEDA, una utriusque loci pax et concordia, eadem perpetua familiaritas conservaretur et gratia; adeoque tum propter communem originem et locorum viciniam, tum maxime ob unum idemque regimen, mutuumque monachorum consensum et commercium, unum in duobus locis positum monasterium rectius dici posset (2). Jam vero

---

quee in fine tradit BEDA, p. 239, 240, CEOLFRIDUM Abbatis officium ministrasse annos triginta quinque, *vel potius quadraginta tres*, (vocem enim *quadraginta*, quod in edit. WHARTON. desideratur, omissam esse apparet ex SMITH pag. 302) *quia nempe a primo tempore*, *quo* BENEDICTUS *in honorem principis Apostolorum suum condere coepit monasterium*, *ipse ille comes et co-operator aderat.* Haec BEDA. Anno autem 716 CEOLFRIDUS diem obiit, ut idem ille narrat. Itaque ex his satis certo effici posse existimem, alterum monasterium octo annorum intervallo post alterum conditum esse. Si quis cum MABILLONIO (in *Act. Bened.* l. l.) ex inscriptione supra memorata probari velit, monasterium S. PAULI *Girviense* circa annum 680 esse conditum, siquidem annus 684 quartus est CEOLFRIDI, nonnihil hîc oritur difficultatis. At ea tolli tamen quodammodo videtur, si ponimus, CEOLFRIDUM jam illius monasterii Abbatem designatum fuisse aliquanto ante quam ipso munere fungeretur. Hanc disputationem si quis minoris fortasse judicet pretii, in mentem revocet, quaeso, quam facile levis error graviores pariat.

(1) In *Chronico incerti auctoris Whitbiensis* traditur *Gyrwy* quarto a *Novocastro* (*Newcastle*) miliario abesse. JOAN. LELANDI *Antiq. de rebus Brit. Collectanea* edit. sec. HEARNII Lond. 1774. Vol. III. Tom. 4. pag. 42.

(2) In *Hist. de vitis Abb.* L. I. pag. 227, et L. II. pag. 234.

in terris, quibus haec monasteria postea donata sunt, solum BEDAE natale fuit, quamvis utriusque monasterii conjunctio, et quasi confusio impedit, quo minus ipsum locum accurate indicemus. Ex *Saxonica* autem Historiae a BEDA conscriptae paraphrasi (1) satis confici posse videtur, eum natum esse in vico, qui postea inter prioris monasterii possessiones eique vicinus erat. Si vero iis, quae ex veteri et vulgari opinione traduntur, fidem habere licet, locus est, cui hodie nomen *Monkton*, (quasi dicas monachorum urbem) prope *Gyrvum*. Ibidem etiamnum fons seu puteus ostenditur, BEDAE nomine insignitus, in quem superiori etiam seculo liberos, morbo vel infirmitate laborantes, sanandi causa immergere solebant parentes (2).

---

(1) BEDAE *Hist. Eccl. cum paraphr. Saxonica* ALFREDI, *Saxonica Chron. leges Anglo-Saxon. et leges* HENRICI I., edidit A. WHELOC Cantab. 1644. Invenitur eadem in editione, quam curavit SMITH Cantabr. 1722. *Waes ic acenned on sundorlande thaes ylcan mynstres.* Est igitur *sundorlande* terra separata, donata, territorium, sermone vernaculo *afgezonderd land*, et fortasse inde nomen accepit et retinuit *Sunderland*, quae hodie dicitur, quamquam me non latent, quae scripsit ROB. SURTEE Vol. I. pag. 253. *Very various conjectures have been formed as to the derivation of the name. The simplest and most obvious seems to be, that it marked the original situation of the place, on a point of land almost insulated by the Wear and by the sea*, cet. Minus accurate tamen nonnulli dixerunt BEDAM in *Sunderlandia* esse natum, ut v. g. Rev. JOHN LINGARD *Hist. of Engl.* Lond. 1819. Vol. I. pag. 122.

(2) Vid. *The Hist. and Antiq. of the County Palatine of Durham by* ROB. SURTEE *of Mainsforth Esq.* Lond. 1816. Vol. II. p. 69 et 80. — *Observ. on popular Antiquities by* JOHN BRAND, *arranged and revised by* HENRY ELLIS Lond. 1813. Vol. II. pag. 270. *About a mile to the West of Jarrow*, inquit,

Quo anno natus sit BEDA, satis certo dici potest. Sunt quidem plures iique bonae notae Scriptores, qui annum 677 ejus natalem statuant (1), at in errorem se duci passi sunt iis, quae appendicis instar ad calcem Historiae a BEDA conscriptae leguntur. Nimirum ita concludit auctor: «Hic est in praesentiarum universae status *Britanniae*, anno adventus *Anglorum* in *Britanniam* circiter 285, dominicae autem Incarnationis anno septingentesimo tricesimo primo,» cet. Historiam sequitur breviarium seu epitome quaedam totius operis chronica, eaque ad annum 731 usque procedens. Porro operi adjungit BEDA vitae suae compendium, in quo se annum aetatis quinquagesimum nonum attigisse tradit. Denique Indicem exhibet omnium librorum a se adhuc conscriptorum, precibusque factis finem scribendo imponit. Jam vero, quum epitome

---

there is a well, called Bede's well, to which as late as the year 1740, it was a prevailing custom to bring children troubled with any disease or infirmity; a crooked pin was put in, and the well laved dry between each dipping. My informant has seen twenty children brought together on a Sunday to be dipped in this well; at which also, on Midsummer-eve, there was a great resort of neighbouring people, with bonfires, music etc.

(1) Sic SIMEON *Dunelm.* (floruit Sec. XII.) *de Dunelm. Eccl.* c. 8. et in *Epist. de Archiepisc. Eborac.* in init., et qui eum hic ad verbum fere describit, THOMAS STUBBS (fl. Sec. XIV.) in *Actibus Pontif. Eboracensium.* Vid. apud *Hist. Anglic. Scriptores X.* Lond. 1652. pag. 4, 76 et pag. 1695. Eundem annum habet *Chronologia* JOANNIS *Abb. S. Petri de Burgo*, apud *Hist. Angl. Scriptores varios e MSS edit. a* J. SPARKE Lond. 1723. Etiam, quod miror, ROB. SURTEE, qui ceteroquin accuratior est, ut apparet ex calculo Vol. II. pag. 69. reperiundo.

postea ab eo continuata sit ad annum usque 734 (1), facile intelligitur, unde nonnulli annum 677 BEDAE esse natalem voluerint. Opinati nempe sunt, nisi fallor, BEDAM annos 58 complevisse, cum haec scriberet, anno 735 ineunte. Ex nostra tamen sententia nullum superesse potest dubium, quin hanc aetatem attigerit, quum Historiam suam absolveret, postea vero continuaverit epitomen, quam, eo mortuo, alium quem auctorem persecutum esse constat. Anno igitur 731 BEDA ad quinquagesimum nonum aetatis annum pervenerat, natus anno 672 in iisdem terris, quas duobus annis post BISCOPUS BENEDICTUS a Rege impetravit ad condendum monasterium, cujus ille lumen fuit atque ornamentum.

E quibusnam parentibus natus sit BEDA, qualisve conditionis illi fuerint, memoriae traditum non est. Ex iis vero, quae ipse narrat (2), se septem annos natum cura propinquorum BENEDICTO Abbati, ac deinde CEOLFRIDO educandum esse datum, conjicias eum, quamvis ignoto, non tamen ignobili genere esse oriundum. Hujusmodi autem educatio parvi non aestimanda est, quoniam illo tempore vel reges throno suo decedebant, ut Episcoporum vel Abbatum dignitate potirentur (3). —

---

(1) Hactenus et hoc ordine servato omnes melioris notae MSS., egregius quoque ille Codex MORI, quo usus est SMITH. Leg. Praef. ad Edit. Cantabr. et vid. ad finem *Hist. Eccl.* p. 219–222.

(2) BEDA in fine *Hist. Eccles. gentis Anglorum.* Oper. T. III. p. 151.

(3) Sic inter alios CEOLWULPHUS, rex *Northumbriae*, cui BEDA Historiam suam dedicavit, regno sponte abdicato, anno 737 in caenobio insulae *Lindisfarnensis* vitam monasticam egit. GUL. *Malmesb. Gest. Reg. Angl.* L. I. p. 24.

Neque tamen in voce *propinquorum* haerendum est, aut adeo ea premenda, ut inde sequatur, illum jam tenera aetate parentibus orbatum, atque idcirco aliis educandum fuisse traditum (1). Ut ut est, praeërat monasterio *Wiremuthensi*, quum BEDA puer illud intrabat, BENEDICTUS solus Abbas, altero illo *Girviensi* nondum condito, A. 679; in quo tamen postea apud CEOLFRIDUM, quem Abbatem BENEDICTUS constituerat, quique per annos triginta quinque illi praefuit, mansisse, atque ibidem diem supremum obiisse videtur (2).

Praeceptoribus usus est, in quovis fere disciplinae genere, pluribus. Ipse memorat TRUMBERTHUM quemdam monachum, qui in monasterio ac magisterio, ut ait, CEDDAE, Episcopi *Licciedfeldensis*, educatus, unus fuit ex iis, qui eum in S. Scriptura erudiebant (3). Praeterea JOANNEM *Beverlacensem*, qui primo *Hagulstadi*, deinde *Eboraci* Episcopatum tenuit, audisse traditur (4), et ob vitae integritatem ingeniique acumen

(1) Saxon. paraphr. habet *maga*, quod omnes fere propinquorum cognatorumque gradus denotat, parentes etiam ac liberos. *Bearn arisath ongen magas*, filii insurgent contra parentes. Matth. X. 21. *Thes*, *oththe hys magas*, hiccine, an ejus parentes? Joan. IX. 2, 3, 18. *Magen* vocant Batavi, unde etiam *maagschap*.

(2) BEDA *Hist. Abbatum* Edit. WHARTON. pag. 226 et 239.

(3) *Hist. Eccles.* Lib. IV. c. 3.

(4) Apud GUL. *Malmesb.* quem citant Scriptores *Biogr. Brit.* nihil hac de re invenio, in *Gest. Reg. Angl.*, nihil item in *Gest. Pontif. Eborac.* Contra diserte narrat THOM. STOBAEUS in *Act. Pont. Eboracens.*, in opere laud. p. 1692. « Inter quos (discipulos JOANNIS) radiantissima totius *Britanniae* lucerna BEDA, qui inter illustres ecclesiae doctores celeberrimus habetur, insignissimus ejus auditor fuit, quem et ipse pro vitae sanctitate, tum pro sensus subtilitate, miro amplexus amore, digno quoque venerabantur honore. » — MABILLONIUS (l. l. *Act.*

pra ceteris ab eo dilectus fuisse atque honoratus. Qui quum ipsius THEODORI, Archiepiscopi *Cantuariensis*, celeberrimi nominis viri, auditor fuerit et discipulus, eorum in numero hunc fuisse opinor, quos Latinam Graecamque linguam aeque ac patrium sermonem novisse BEDA refert; ita ut quicunque lectionibus sacris cuperent erudiri, in promptu haberent magistros, qui docerent. Hos vero, quum suo tempore superfuisse testetur BEDA, quin ipse audierit, nullus dubito (1). Ordinem porro cantandi, psallendi, atque in ecclesia ministrandi juxta morem Romanae institutionis, didicit ab JOANNE illo, ecclesiae S. PETRI *Romae* Archicantore, quem BENEDICTUS, consentiente AGATHONE Papa, in Britanniam adduxerat. Hac autem in arte tantam famam apud *Anglos* nactus est JOANNES, ut, teste BEDA, non solum sui monasterii, i. e. *Wiremuthensis*, fratres se docendos ei darent, verum etiam ut homines cantandi periti ex omnibus pene ejusdem provinciae monasteriis ad illum audiendum convenirent (2).

Brevem porro vitae suae, nulla rerum varietate insignis, expositionem ipse in fine *Historiae Gentis Anglorum* dedit BEDA, in hoc quoque, ut ait *Malmesburiensis*, laudabilis, quod quantulamque sui cognitionem posteri-

---

Bened.) dubitare hic videtur putatque rectius BEDAM discipulum dici JOANNIS illius Archicantoris, de quo ipse narrat in *Hist. Eccl.* Lib. IV. c. 18, ut et in *Hist. Abbat. Wirem. et Gyrw.* — Recte quidem hoc, illud tamen cur negandum sit, non video.

(1) *Hist. Eccl.* Lib. IV. c. 2.

(2) BEDA *Hist. Eccl.* L. IV. c. 18. *Hist. Vit. Abbat. Wirem. et Gyrw.* p. 226 Edit. WHARTON.

tati non inviderit (1). Sic igitur narrat: «Cunctum vitae tempus in ejusdem monasterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi; atque inter observantiam disciplinae regularis et quotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui. Nono decimo autem vitae meae anno Diaconatum, tricesimo gradum Presbyteratus, (i. e. A. 691 et 702,) utrumque per ministerium reverentissimi Episcopi JOANNIS, jubente CEOLFRIDO Abbate, suscepi. Ex quo tempore accepti Presbyteratus usque ad annum aetatis meae quinquagesimum nonum, haec in Scripturam Sanctam meae meorumque necessitati ex opusculis Venerabilium Patrum breviter adnotare, sive etiam ad formam sensus et interpretationis eorum superadjicere curavi» (2). Haec ipsis BEDAE verbis referre mihi placuit, de ejus operibus et industria infra notabimus. Ex illa autem narratione satis manifestum esse videtur, BEDAM nullam fere ante trigesimum aetatis annum libris conscribendis operam dedisse. Attamen juvenili aetate jam ingenii nec minus sanctimoniae laudem habuit. Undevicesimo enim, ut vidimus, aetatis anno jam diaconus ordinatus est, quamvis canones praescribebant annum vigesimum quintum: et nullus exceptioni locus dabatur, nisi ob insolitam praestantiam eorum, qui ordinandos se sistebant (3). Abbatis autem officium pro magno, quo flagrabat, legendi scribendique amore recusavisse dicitur, ne, curis rei familiaris distractus, studiis minus

(1) *De Gest. Reg. Angl.* L. I. c. 3. p. 22.
(2) Oper. Tom. III. p. 151. SMITH p. 222.
(3) MABILL. *Act. Bened.* l. l.

temporis et laboris impendere posset. «Officium quippe curam requirit, cura mentem distrahit, distractio studium literarum impedit» (1).

Silentio praetermittere non possumus Literas ad CEOLFRIDUM, Abbatem monasterii, in quo maximam vitae partem BEDA degit, a SERGIO Papa missas. Scripsit igitur haec:

«SERGIUS Episcopus, servus servorum Dei, CEOLFRIDO religioso Abbati, Presbyteroque salutem.... Benedictionis gratiam, quam nobis per praesentem portitorem tua misit devota religio, libenti et hilari animo, sicuti ab ea directa est, nos suscepisse cognosce.... Opportunis ergo ac dignis amplectendae sollicitudinis tuae petitionibus arctissima devotione faventes (2), hortamur Deo dilectam bonitatis tuae religiositatem, ut, quia exortis quibusdam ecclesiasticarum causarum capitulis, non sine examinatione longius innotescendis, opus nobis sunt ad conferendum artis literatura imbuti; sicut decet devo-

---

(1) Sunt verba JOAN. TRITHEMII *de viris illustr. ord. S. Bened.* Lib. II. c. 21. p. 34.

(2) Sine dubio haec respiciunt privilegium illud CEOLFRIDO pro monasterio suo a SERGIO Papa decretum, cujus ipse BEDA meminit in *Hist. Abbat. Wirem. et Girw.* Edit. WHAR. p. 234 in fine. Edit. SMITH p. 300. «Missis Romam monachis tempore (beatae) recordationis SERGII Papae, privilegium ab eo pro tuitione sui monasterii instar illius, quod AGATHO Papa BENEDICTO dederat, accepit CEOLFRIDUS. Quod *Britannias* perlatum, et coram Synodo patefactum, praesentium Episcoporum simul et magnifici Regis ALFRIDI subscriptione confirmatum est, quomodo etiam prius illud sui temporis Regem et Episcopos in Synodo publice confirmasse non latet.» Sic BEDA. Notetur autem singularis viri modestia, qui cum dati illius privilegii mentionem faciat, ne verbo quidem has memorat Literas, quibus suae laudes tantopere extolluntur.

tum auxiliatorem sanctae matris universalis ecclesiae, obedientem devotionem huic nostrae exhortationi non desistas accommodare; sed absque aliqua immoratione religiosum famulum Dei BEDAM, venerabilis monasterii tui [presbyterum] (1), ad veneranda limina Apostolorum principum meorum PETRI et PAULI, amatorum tuorum ac protectorum, ad nostrae mediocritatis conspectum non moreris dirigere. Quem favente Domino, tuisque sanctis precibus, non diffidas prospere ad te redire, peracta praemissorum capitulorum cum auxilio Dei desiderata solennitate. Erit [enim], ut confidimus, et cunctis tibi creditis profuturum, quidquid ecclesiae generali devoto sancto collegio claruerit praestantissime impertitum» (2).

Ex his igitur Literis apparet BEDAM, utpote eximium sui temporis doctorem, de gravissimis, ut putabantur, quaestionibus consilium daturum, a Papa *Romam* esse arcessitum. GULIELMUS *Malmesb.*, hoc loco ejus laudes celebrans, «ita, inquit, jam celebris erat fama, ut in quaestionibus enodandis indigeret eo sublimitas *Romana*, nec vero unquam *Gallicanus* tumor invenit in *Anglo*, quod argueret merito.» Caute vero, ut solet, hac in re memoranda versatur. Quamvis enim BEDAM invitatum

---

(1) Notat USSERIUS apud WILKINS in antiquissimo *Cottonianae* bibliothecae Codice, *Anglo-Saxonicis* characteribus exarato, hoc verbum deësse. Neque etiam ante annum 702, ut vidimus, Presbyter factus est. SERGIUS autem vixit usque ad annum 701. Vid. BARON. *in Annal.* ad hunc annum in init.

(2) Ita hanc epistolam ex MS. USSERII *in Spelm.* apud Episc. *Assavens.* descripsit WILKINS in *Concil. Magn. Brit. et Hibern.* Lond. 1737. Vol. I. p. 63, 64. Alia lectio in quibusdam MSS. in fine: «Quidquid ecclesiae generali claruerit per ejus praestantiam (vel praesentiam) impartitum.»

esse narrat, ut Romam proficisceretur, eum tamen ibi fuisse non affirmat (1). Nimirum quaestio oritur, num Papae voluntati, mittendo BEDA, satisfecerit CEOLFRIDUS Abbas? Literae certe, quas supra descripsimus, missionem illam valde urgent. Et talis tantaque jam eo tempore apud monachos *Saxones* Papae erat auctoritas, ut, si vel CEOLFRIDUS non cessisset, vel BEDA ita suscipere recusasset, magnae id fuisset temeritatis. Rursus vero fatendum est, nullam hujus itineris mentionem fieri a BEDA, aut Historicis ab eo aetate proximis. Immo, cum in eodem semper monasterio se mansisse referat (2), eo ipso significare videtur, se *Romam* non abiisse (3). Exorta inde difficultas quosdam induxit Criticos, ut cum PAGO ipsas SERGII Literas spurias esse putarent (4). Optime tamen difficultatem expe-

---

(1) Vid. *de Gest. Reg. Ang.* Lib. I. c. 3. p. 22. « Mihi, inquit alicubi, fama vilius constat, nec quidquam nisi absoluta fide dignum pronunciem. » l. l. p. 19.

(2) BEDA in fin. *Hist. Eccles.* Oper. Tom. III. p. 151. Conf. SIMEON *Dunelmensis*, *de Dunelm. Ecclesia* apud Scrip. X. Lib. I. c. 14. p. 8.

(3) BEDAM *Romae* non fuisse, inde colligit BARONIUS *in Annal.*, quod ea, quae ad texendam suae gentis historiam *Roma* petere opus erant, non a se ablata, sed opera NOTHELMI, Presbyteri *Londinensis*, se accepisse testatur. Vid. *Epist. ad* CEOLWULPHUM *regem* Historiae suae praefixa. Quamvis autem, ut recte dicit MABILL. l. l. responderi potest, eum, nondum de scribenda historia cogitantem, de monumentis huic consilio necessariis non fuisse sollicitum, haec tamen, et quae alia ejusmodi afferuntur argumenta (Vid. *Biogr. Brit.*) haud leviter nostram sententiam corroborare videntur.

(4) PAGI (*Francisci*, *Antonii* nepotis) *Breviarium Historico-Chronologico-Criticum, illustriora Pontif. Rom. gesta, Concil. Gener. Acta*, *cet. complectens*, 1717. in Sergio § 21. HENSCHENIUS etiam ad diem 27 mensis Maji, in vita BEDAE, totam epistolam

dire posse opinor, si animadvertamus, Literas has anno circiter septingentesimo esse conscriptas, et jam sequenti anno SERGIUM diem obiisse supremum. Ergo et Papae mors, et ipsius quietioris vitae studium, quo ipse BEDA ducebatur, causae fuisse videntur, cur iter ei impositum non faceret, sed otio literisque indulgere pergeret (1).

Alia exorta quaestio est, utrum BEDA Scholam *Cantabrigiensem* adierit, ac summos ibi honores consecutus doctorisque munere ipse functus sit? Quod nonnulli ex Academiae *Cantabrigiensis* civibus affirmarunt, negarunt contra *Oxonienses*. Servatur autem in Archivis Scholae *Cantabrigiensis Liber*, qui dicitur, *Niger*, in quo invenitur Historia quaedam, CANTALUPO auctori adscripta (2). Fertur ibi BEDA, «rogatu WILFRIDI docto-

---

esse putavit spuriam. Et MABILLONIUS quoque nonnihil suspecti ei inesse existimavit, ob hanc maxime causam, quod Presbyter dicitur, quum vix tamen ante mortem SERGII ad illum gradum potuerit evehi. Vid. *Acta Bened.* Sec. III. *Elog. Bed.* n⁰. 4. Vocem autem, quae viri acutissimi dubitationi praecipue ansam dederit, in optimo Codice, ab USSERIO collato, omnino deësse supra notavimus. ANTONIUS PAGUS in *Critica Historico-Chronol. Annal.* BARONII, Epistolam scriptam esse conjicit ab aliquo successore SERGII, Papa autem paulo post mortuo, CEOLFRIDUM necesse non habuisse, ut BEDA *Romam* mitteretur. Vid. Tom. VIII. pag. 1436 n⁰. II. Aug. Vindel. 1739. — Cur vero a successore quodam? quidni ab ipso SERGIO?

(1) Quod nonnulli perhibent, eum a GREGORIO quoque Papa *Romam* esse vocatum, nulla auctoritate nititur.

(2) NICOLAI CANTALUPI *Historiola de Antiquitate et Origine Univers. Cantabrig.*, simul cum *Chronicis* SPROTTI edita ab HEARNIO, Oxon. 1719. pag. 274-277. Anglice librum vertit PARKERUS: *The History and Antiquity of the Univ. of Cambridge, in two parts, by* RICHARD PARKER, *B. D. and fellow of Cajus Col-*

ris, jubente CEOLFRIDO Abbate, de territorio monasterii PETRI et PAULI *Wiremuder*, mente licet non habitu monasticus, jam disciplinis inhaerens, anno 682 (aetatis igitur decimo!) pervenisse *Cantabrigiam*, ubi sibi et aliis fructus scientiae seminando, libros scribendo, inscios informando, profecerit coram Deo et hominibus in erroribus enervandis.» Post multas dein et varias disceptationes contra Paganos in cathedra Seniorum sub Patre WILFRIDO, adsentientibus clero et praelatis regni, pallio honoris et pileo dignitatis, forma *Atheniensium*, ad laudem evectus fuisse dicitur A. 689, quin etiam ipse postea docuisse perhibetur (1). Quod ad probandum citantur Literae quaedam ab ALBINO, quum obsequeretur CAROLO MAGNO in *Francia*, ad Scholae *Cantabrigiensis* alumnos missae. Sunt autem hae:

«Discretis CHRISTI haeredibus, immaculatae Matris *Cantabrigiae* scholaribus, ALCUINUS, vita peccator, salutem et doctrinae virtutibus gloriam. Quoniam ignorantia mater est erroris, rogo intime, ut inter vos assuescant pueri adstare laudibus superni Regis, non vulpium fodere cavernas, non fugaces leporum cursus sequi, discant nunc Scripturas Sacras, habita cognitione veritatis scientiae, ut ita aetate perfecta alios docere possint. Recogitate, obsecro, carissimi, nobilissimum nostri temporis magistrum BEDAM Presby-

---

lege in 1622. London 1721. pag. 11 seq. Et iterum: *The Hist. and Antiq. of the Univ. of Cambr. by* RICHARD PARKER, *printed for* J. WARCUS, *at the Indian Queen, in the poultry.* London. — Duo hi sunt tituli ejusdem libri.

(1) CANTALUP. l. l. pag. 275.

terum, vestrae Universitatis doctorem, sub quo, divina permittente gratia, gradum suscepi doctoralem A. ab Incarnatione Domini 692, qualem habuit in juventute studendi animum, qualem nunc habet inter homines laudem, et multo magis apud Deum remunerationis gloriam. Valete semper in CHRISTO JESU, cujus gratia coadjuvati estis in doctrina. Amen.»

Aetate jam multum provecta *Cantabrigia* rediisse narratur, cum discipulos saepius sic allocutus erat: «Discite, filioli, dum vobiscum sum. Nescio enim, quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me Factor meus, et revertatur animus meus ad eum, qui misit illum et in hanc vitam venire concessit, diu vixi. Bene consuluit mihi Dominus meus JESUS in hoc vitae spatio, cupio dissolvi et esse cum CHRISTO.» — Multos autem, eosque praestantissimos, ex ejus schola discipulos CANTALUPUS prodiisse tradit, et quatuor quidem, CHEULPHUM, MAURICIUM, OSWALDUM et CADOCEUM, prae ceteris laudabiles, quippe qui ob doctrinae et virtutis excellentiam tanta apud populum fruerentur existimatione, ut eorum causa clerici pariter et religiosi magna in veneratione essent (1). Porro tales discipulos ait, venerabilis magistri vestigia sequentes, omnium oculos in se convertisse, EDMUNDI etiam regis, qui maximo

(1) CANTALUP. l. l. pag. 276. CARTERUS, ludi magister *Cantabrigiensis*, qui hic CANTALUPUM, vel potius PARKERUM, sequitur, ut suae urbis Academiam antiquiorem esse probet *Parisiensi*, addit, hanc a quatuor illis BEDAE discipulis esse conditam. «As for Paris, that claims the precedency, is at the most no older than the reign of Charlemagne, and founded by four disciples of the Venerable BEDE.» *History of the Univ. of Cambr. by* E. CARTER Lond. 1753. pag. 3.

Cantabrigiam afficeret honore, et juvenes patrios, doctrina et virtute instruendos, illuc adduceret.

Jam haec si vera esse reperirentur, mirum quantum facerent ad BEDAE laudes amplificandas. Vereor tamen, ne magis ad Academiae et antiquitatem vindicandam et gloriam augendam, quam veritatis studio scripta sint. BALEUS quidem et alii, his, ut mihi videntur, Annalibus nixi, BEDAM artes liberales *Cantabrigiae* docuisse asseverant (1), sed omnium tamen intelligentium judicum, et qui a partium studio alieni sunt, una vox est, CANTALUPUM istum nullius plane fidei Scriptorem esse habendum (2). Et sane, cum jam A. 689 BEDA in cathedram Seniorum promotus fuisse, atque ex eo

---

(1) J. BALEUS in Edit. illa antiquiore Wesaliae, 1548, *de Illustr. Maj. Brit. Scriptor.* pag. 56, ubi agitur de FLACCO ALBINO. Conf. etiam JOANNES CAJUS *Londinensis* (aut potius *Cantabrigiensis*, qui struxit collegium, quod dicitur, CAJI), *Historiae Cantabrig. Acad. ab urbe condita, Libri duo*, et *de Antiquit. Cant. Acad. Libri duo 1574.* FULLERUS quoque hujus fabulae mentionem facit in opere, quod inscribitur: *Worthies of England* in art. *Durham*, sed parum fidei ei habere videtur. Vid. ejus *History of the Univ. of Cambridge.* Lond. 1717, in loco.

(2) De hoc Scriptore et, qui ei tribuitur, *Libro Nigro* vid. J. LELAND *Comm. in Cygneam Cantionem* in ejusdem *Itinerario*, Edit. HEARNII Oxon. 1768 Vol. IX. — J. BALEUS *de Script. Illust. Maj. Brit.* — BRIAN TWINUS *Antiq. Acad. Oxon. Apologia* Lib. I. p. 114. — J. PITSEUS *de Illust. Angl. Script.* — G. J. VOSSIUS *de Hist. Lat.* Lugd. Bat. 1627. pag. 512. TANNER in voce. Et quae disputat HEARNIUS pag. 223-252. Leg. imprimis, qui ipse Academiae *Cantabrigiensis* alumnus est, G. DYER, *A. B. History of the University and Colleges of Cambr.* Lond. 1814. pag. 40 seq. Ceterum spuria quoque habenda sunt, quae apud eundem CANTALUPUM leguntur, *Bullae papales*, *et privilegia.* Vid. *The privileges of the Univ. of Cambr., together with additional observations on its history, antiquity, literature and biography by* G. DYER, 1824.

inde tempore docuisse narretur, quisque videt, quam male haec quadrent in ipsius viri testimonia, quae supra attulimus. Quid? quod ipsa illa, quae citatur, ALBINI ad *Cantabrigiensis* Epistola, et BEDAE magistri, a scholis recessuri, ad discipulos exhortatio, luce clarius ostendunt falsa veris, spuria genuinis esse immixta? Epistolam enim ad Literas, quas ALBINUS monachis *Wiremuthensibus* scripsit, exhortationem vero ad narrationem quamdam CUTHBERTI, discipuli BEDAE, confictam esse, satis certo mihi constat (1).

BEDA igitur, quamvis nunquam patriae fines excessisse, nec cum ullo munere publico tranquillam vitae monasticae conditionem mutasse vidimus, adeo tamen in monasterii solitudine se abscondisse et quasi sepelivisse existimandus non est, ut amicorum commercio et societatis usu plane abstineret. Exstat certe ejus ad EGBERTUM Antistitem Epistola, ex qua apparet, eum per dies aliquot, ob commune legêndi studium, in illius monasterio *Eboraci* commoratum, atque ab amico invitatum esse, ut sequenti quoque anno confabulandi causa in eundem locum deveniret (2). Cui invitationi quominus satisfaceret, impedivit eum infirma, qua jam tunc premebatur, corporis valetudo, missis tamen Literis desiderium sui lenivit. Inciderat nempe in ejusmodi

(1) De utrisque infra suo loco dicemus.

(2) BEDAE *Epist. ad Egbertum Antist.* edit. ab J. WARAEO Dubl. 1664, repetita ab H. WHARTONO Lond. 1693, et a SMITH in Edit. Cantabr. 1722, init. Simile quid legitur in Epistola *de Aequinoctio* ad WICHREDAM scripta, in qua, «memor familiaritatis et dulcedinis, quibus ille se susceperat, quaestionem, cui praesens breviter responderat, jam latius explanare aggreditur.» Oper. Edit. Colon. Vol. II. pag. 230.

morbum, quo plerumque affici solent, qui acrius, quam corporis vires ferre possunt, animum intendunt studiis; ita ut, teste GULIELMO *Malmesb.*, «stomacho laboraret aegroque et angusto suspirio anhelitum duceret» (1). Brevi igitur post ex corpore evasit, et, ut est apud LELANDUM, «si quem juvat audire, qua modestia, qua patientia, qua caritate, qua denique ferventis spiritus confidentia obierit, CUTHBERTI, ejus discipuli et amanuensis, libellum de ejus morte legat: quamquam non mortuus est, qui tot eruditissimis monumentis vitae et aeternitati consecratus est» (2). Brevem autem illam narrationem de BEDAE exitu hoc loco repetere placet ipsis CUTHBERTI verbis. Nimirum continent illa tanquam monumentum, aere perennius, quod discipulus in honorem magistri, cui morienti adfuerat, condidit, dicta factaque ejus ultima cum alio discipulo, ei addicto, communicans (3). Et vero multis nominibus descriptu digna videntur, quippe quae interiorem loci, ubi BEDA vixit et mortuus est, conditionem quasi in tabella depingunt, simulque dictionem illius temporis nobis repraesentant, et auctore quidem uno ex BEDAE

---

(1) GUL. *Malmesb. de Gest. Reg. Ang.* Lib. I. Cap. 3. pag. 23.
(2) In *Comm. de Script. Brit.* Cap. 87. p. 118.
(3) GUL. *Malmesb.* similiter rem tradit, quod tamen ex hac Epistola desumsisse videtur. Vid. l. l. Ipsam CUTHBERTI narrationem refert SIMEON *Dunelmensis* (seu TURGOTUS) *de Dunelm. Eccl.*, apud Script. X. Lib. I. Cap. 15. pag. 8. CAES. BARON., qui eam ex Editionibus Operum BEDAE descripsit, *Annal. Eccl.* ad annum 731. n°. XX–XXIII. Edit. PAGI 1740. Tom. IX. pag. 132, 133. LELAND in *Collect.* Edit HEARNII sec. Vol. IV. Tom. III. pag. 77. Et MABILL. in *Act. Bened.* Sec. III. Parte prima, quem nos etiam secuti sumus, notantes tamen varias alicujus ponderis lectiones.

discipulis, qui ipse postea famae et honorum claritatem in ecclesia assecutus est (1).

«Dilectissimo in CHRISTO Collectori CUTHWINO CUTHBERTUS condiscipulus in Deo aeternam salutem (2). Munusculum, quod misisti, libenter accepi (3), multumque gratanter Literas tuae devotae eruditionis (4) legi, in quibus, maxime quod desiderabam, Missas videlicet et orationes sacrosanctas pro Deo dilecto Patre ac Magistro nostro BEDA a vobis diligenter (5) celebrari reperi. Unde delectat magis pro ejus caritate, quantum fruor ingenio (6), paucis sermonibus dicere, quo ordine migrarit e seculo (7), cum etiam hoc te desiderasse et poscere intellexi. Gravatus quidem est infirmitate maxima (8) creberrimi anhelitus, sine dolore tamen (9), ante diem Resurrectionis dominicae, id est, fere duabus hebdomadibus; et sic postea laetus et gaudens, gratiasque agens omnipotenti Deo omni die et nocte, immo horis omnibus usque ad diem

---

(1) Fuit ille CUTHBERTUS postea Abbas ejusdem monasterii, et bene distinguendus est a CUTHBERTO antiquiori, cujus vitam tum ligata tum soluta oratione scripsit BEDA. Operum Colon. edit. 1612 Tom. III. pag. 152. Utraque oratio invenitur in *Actis Sanctorum*, et recensita est a SMITH, Cantabr. 1722.

(2) Deëst haec inscriptio in quibusdam MSS., quod fortasse BARONIO hanc fraudem fecit, ut vitam BEDAE, quam, MOLANO teste, a CUTHBERTO Abbate descriptam esse diceret, periisse lugeret in *Ann.* l. l. pag. 147, Edit. PAGI Tom. IX. pag. 134.

(3) *Multum libenter.* LEL. et BAR. Pro *accepi*, *suscepi.* LEL.

(4) Pro *devotae eruditionis*, *devotionis.* BAR.

(5) *Patre ac* deëst apud LEL. Pro *diligenter*, *insigniter.* BAR.

(6) *Quam fretus ingenio.* BAR.

(7) Pro *seculo*, *vita.* LEL.

(8) *Et maxime.* LEL. et BAR.

(9) *Sed tamen pene sine dol.* BAR.

Ascensionis dominicae, id est, septimo Kalendas Junii (1), vitam ducebat, et nobis, suis discipulis, quotidie lectiones dabat, et quidquid reliquum erat diei in Psalmorum decantatione occupabat (2): totam quoque noctem in laetitia (3) et gratiarum actione pervigil ducebat, nisi quantum (4) modicus somnus impediret. Evigilans autem statim consueta repetivit, et expansis (5) manibus Deo gratias agere non desivit (6). Vere fateor, quia neminem alium oculis meis vidi, nec auribus audivi, tam diligentes gratias Deo vivo referre (7). O vere beatus vir! Canebat sententiam beati PAULI Apostoli (8): «Horrendum est incidere in manus Dei viventis,» et multa alia de Sancta Scriptura, in quibus nos a somno animae exsurgere, praecogitando horam ultimam, admonebat (9). Et in nostra quoque lingua, hoc est Anglica (10), ut erat doctus in nostris carminibus nonnulla dixit. Nam et tunc hoc Anglico carmine componens, multum compunctus ajebat: *For-tham neodfere nenig wyrtheth thances snottra thonne*

---

(1) *Septimo Idus Maji.* BAR. Ceterum annotabimus infra, BARONIUM mala hac sui exemplaris lectione in errorem inductum esse, cum definire vellet tempus, quo BEDA mortuus esset.

(2) Pro *decantatione* habent *cantu* LEL. et BAR. *Prout potuit, se occupabat.* BAR.

(3) *Laetus in orationibus et.* BAR.

(4) Pro *pervigil ducebat*, *ducere studebat.* BAR. Pro *quantum*, *tantum.* SIM. *Dunelm.* LEL. et BAR.

(5) Pro *repetivit et expansis*, BAR. habet *Scripturarum modulamina ruminabat*, *extensisque.*

(6) *Non desinit.* SIM. *Non est oblitus.* BAR.

(7) *Vere fateor* usque ad *referre* desunt apud SIM. *Dunelm.* et LEL.

(8) Pro *Apostoli* BAR. *dicentis.*

(9) *In quibus* usque ad *admonebat* desunt apud SIM. et LEL.

(10) *Hoc est Anglica*, desunt apud LEL. et BAR.

him thearf sy, to gehiggene aer his heonen gange, hwet his gaste godes oththe yveles aefter deathe heonen demed wurthe. Quod ita Latine sonat: «Ante necessarium exitum prudentior, quam opus fuerit, nemo existit: ad cogitandum videlicet, antequam hinc proficiscatur anima, quid boni vel mali egerit, qualiter post exitum judicanda fuerit» (1). Cantabat etiam Antiphonas secundum nostram consuetudinem (2) et sui, quarum una est: «O Rex gloriae, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes coelos adscendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis, Alleluja.» Et (3) cum venisset ad illud verbum: «ne derelinquas nos orphanos» (4), prorupit in lacrymas, et multum flevit. Et post horam coepit repetere, quae inchoaverat (5). Et haec nos audientes luximus cum illo (6). Altera vice legimus, altera ploravimus, immo semper cum fletu legimus. In tali laetitia quinquagesimales (7) dies usque ad diem praefatum duximus, et ille multum gaudebat, Deoque gratias agebat (8), quia sic meruis-

---

(1) *Nonnulla dixit — judicanda fuerit.* Disiderantur haec omnia apud BAR., ubi pro illis substitutum est: *dicens erat de terribili exitu animarum e corpore.* Pro *nonnulla — ajebat* LELANDUS tantum habet *dixit.* Itidem Latinam interpretationem: *quod ita — fuerit* omisit.

(2) Pro *secundum nostram consuetudinem* LEL. et BAR. habent *ob nostram consolationem.* Pro sequenti *sui* BAR. *suam.*

(3) *Qui triumphator* usque ad *et* desunt apud BAR.

(4) *Orphanos* deëst apud LEL.

(5) *Et sic per totum diem faciebat*, addit BAR.

(6) *Et flevimus* addit BAR.

(7) *Quadragesimales.* BAR.

(8) *Gavisus est et Deo gratias referebat.* BAR. *Referebat* in seqq. apud eum deëst.

set infirmari. Referebat, et saepe dicebat: «Flagellat Deus omnem filium, quem recipit,» et multa alia de Sancta Scriptura (1). Sententiam quoque s. AMBROSII: «Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.» In istis autem diebus duo opuscula multum memoria (2) digna, exceptis lectionibus, quas accepimus ab eo, et cantu Psalmorum, facere studebat. Evangelium scilicet Sancti JOHANNIS (3) usque ad eum locum, in quo dicitur: «sed haec quid inter tantos» (4), in nostram linguam ad utilitatem ecclesiae (5) convertit, et de libris Rotarum (6) ISIDORI Episcopi Excerptiones quasdam, dicens: «Nolo, ut discipuli (7) mei mendacium legant, et in hoc post obitum meum sine fructu laborent.» Cum venisset autem tertia feria ante Ascensionem Domini, coepit vehementius aegrotare in anhelitu, et modicus tumor in pedibus apparuit. Totum autem illum diem ducebat (8), et hilariter dictabat, et nonnunquam inter alia dixit: «Discite cum festinatione; nescio, quando subsistam (9), et si post modicum tollat me Factor meus.» Nobis autem videbatur, quod suum exitum (10) bene

(1) *Et multa — Scriptura* desunt apud BAR.
(2) *Memoriae.* LEL.
(3) *Studuit i. e. a capite Evangelii Johannis.* BAR.
(4) *Usque ad — tantos* desunt apud SIM. *Dun.* et LEL.
(5) *Dei* addit BAR.
(6) *Notarum*, LEL. Vocabulum illud, ut et sequens *Episcopi*, deëst apud BAR.
(7) *Pueri.* LEL. et BAR.
(8) *Docebat.* LEL. et BAR.
(9) *Quamdiu.* LEL. et BAR.
(10) *Unde nobis videbatur, ne forte exitum.* BAR. Pro *exitum*, *obitum.* SIM.

sciret. Et sic noctem in gratiarum actione pervigil duxit. Et mane inlucescente, id est, quarta feria, praecepit diligenter scribi, quae coeperamus. Et hoc facto, usque ad tertiam horam ambulavimus deinde (1) cum Reliquiis Sanctorum, ut consuetudo illius diei poscebat. Unus vero erat ex nobis cum illo, qui dixit illi: «Adhuc, Magister dilectissime, capitulum unum deëst (2). Videturne tibi difficile (3), plus te interrogari?» At ille: «Facile est, inquit, accipe tuum calamum et tempera, et festinanter scribe.» Quod ille fecit. Nona autem hora (4) dixit mihi: «Quaedam preciosa in mea capsella habeo, id est, piper, oraria et incensa (5), sed curre velociter, et Presbyteros nostri monasterii adduc ad me, ut et ego munuscula, qualia

---

(1) *Et hoc fecimus usque ad horam tertiam. A tertia vero hora amb.* BAR. — LELANDUS etiam interpungit (,) post *horam*, additis *a tertia hora ambulavimus* cet.

(2) Desunt haec verba *Mag. dil.* apud BAR. et post *unum* addit *de libro, quem dictasti.*

(3) *Et videtur tibi difficile esse.* LEL. *Et videtur mihi difficile tibi esse.* BAR.

(4) *Ad nonam autem horam.* LEL.

(5) Eo maxime tempore moris erat, quemadmodum observavit MABILLON. in *Act. Ordin. Bened.* l. l. n°. IX, ut id genus munusculorum amici darent acciperentque in mutuum caritatis indicium, non rerum pretium spectantes, sed animum. Varia hujus rei exempla affert ex BONIFACII Epistolis, unde intelligimus, thus, piper, cinnamum, graphium argenteum; pallia, lecti strata caprina, accipitres, falcones, scuta, lanceas, vini cupellas, muneri missa esse. Quin BONIFACIUM IV. aliosque Pontifices Romanos non raro pectines, specula aliaque istiusmodi dedisse, in ipsorum Epistolis legimus. Quid autem *Oraria?* Conjicit MABILLONIUS, ea fuisse linteola tenuia, quibus os tergi soleret, et quae *Sabana* vocet BONIFACIUS *in Epist. 30;* nam secundum VOSSIUM Lib. III. *de vitiis serm.* c. 31, hanc vocem ita saepe sumtam esse.

Deus donavit, illis distribuam. Divites autem in hoc seculo aurum et argentum, et alia quaeque preciosa student dare: ego autem cum multa caritate et gaudio fratribus meis dabo, quod Deus dederat.» Et allocutus est unumquemque (1), monens et obsecrans pro eo Missas celebrare (2), et orationes diligenter facere: quod illi libenter spoponderunt (3). Lugebant autem et flebant omnes, maxime quod dixerat, quia amplius faciem ejus in seculo hoc non essent visuri (4). Gaudebant autem, quia dixit: «Tempus est, ut revertar ad eum, qui me fecit, qui me creavit, qui me ex nihilo formavit (5). Multum tempus vixi, bene mihi pius Judex vitam meam praevidit, tempus resolutionis meae instat, quia cupio dissolvi et esse cum CHRISTO (6)». Sic et alia multa (7) locutus in laetitia, diem usque ad vespe-

---

(1) Haec paulo aliter BAR. Desunt apud eum verba *Divites — dederat*, ita: *distribuam, quod cum tremore feci; et praesentibus, illis locutus est ad eos, unumquemque* cet. Post *dederat* LEL. quoque habet *et hoc cum tremore feci*, vel secundum aliam lectionem *fecit*.

(2) *Celebrare* deëst apud SIM. *Dun.* LEL. et BAR.

(3) *Se facturos responderunt.* BAR.

(4) *Maxime a verbo, quod dixerat: quia aestimavit, quod faciem ejus non multo amplius in hoc seculo visuri essent.* BAR. Non ita male, eandemque, ut puto, ob causam, cur supra (vid. pag. 26 n°. 10) scriptum sit: UNDE *nobis videbatur*, NE FORTE *exitum suum bene sciret.*

(5) Haec BARONIUS ita: «Tempus est, si sic Factori meo videtur, ut ad eum modo absolutus ex carne veniam, qui me, quando non eram, ex nihilo formavit.»

(6) Pro *tempus resolutionis — Christo* ita BARONIUS: «Tempus absolutionis meae prope est. Etenim anima mea desiderat Regem meum CHRISTUM in decore suo videre.»

(7) Inserit BARONIUS post *multa: utilitatis causa ad nostram aedificationem locutus, diem ultimum in laetitia usque*, cet.

ram duxit, et praefatus puer (1) dixit: «Adhuc una sententia, Magister dilecte, non est descripta.» At ille: «Scribe, inquit, cito.» Post modicum dixit puer: «Modo sententia descripta est» (2). At ille: «Bene, inquit, veritatem dixisti: consummatum est; accipe caput meum in manus tuas (3), quia multum me delectat sedere ex adverso loco sancto meo, in quo orare solebam, ut et ego sedens Patrem meum invocare possim.» Et sic in pavimento suae casulae decantans: «Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto,» cum Spiritum Sanctum nominasset, spiritum e corpore exhalavit ultimum, ac sic regna migravit ad coelestia (4). Omnes autem, qui viderunt (5) beati Patris obitum (6), nunquam se vidisse unum alium in tam magna devotione atque tranquillitate vitam finisse dicebant (7): quia, sicut audisti, quousque anima ejus in corpore fuit, «Gloria Patri» et alia quaedam ad gloriam

---

(1) *Puer nomine Wilberch.* Ita varia lectio notata est apud LEL., et BAR.

(2) *Dixit — descripta est.* Aliter et confusa verborum structura apud BAR. *Sententia* ibi deëst. Pro *est* habet *restat.* Verba *at ille — descripta est* plane exciderunt.

(3) *In manus tuas* desunt apud SIM. *Dun.*

(4) *Cum spiritum — coelestia.* Pro *nominasset*, *spiritum* LEL. habet *invocavit*, *suum.* BARONIUS haec omnia longe aliter, et quidem sic: «Et cetera; ultimum ex corpore exhalavit spiritum. Atque sine dubio credendum est, quia pro eo, quod hic semper devotissimus in Dei laudibus laboraverat, ad gaudia desideriorum coelestium anima ejus ab angelis portaretur.» — Hoc autem unum de multis exemplo sit, unde intelligatur, quo modo Scriptores quidam monumenta antiquitatis, quae ad manum haberent, pro consilio suo corruperint.

(5) *Qui audire, vel videre.* LEL. *qui audierunt, et viderunt.* BAR.

(6) *Obitum* BEDAE *Patris nostri.* BAR.

(7) *Sic finisse dicebant.* LEL. *finisse testabantur.* BAR.

Dei cecinit, et (1) expansis manibus Deo vivo et vero (2) gratias agere non cessabat. Scito autem, Frater carissime, quod multa possem narrare de eo (3), sed brevitatem sermonis ineruditio linguae facit. Attamen cogito, Deo adjuvante, ex tempore plenius de eo scribere, quae oculis vidi, et auribus audivi» (4).

Hactenus narratio CUTHBERTI. Tradunt autem nonnulli, suavissimum, simul atque animum edidisset BEDA, subsecutum esse odorem, qualem nec cinnama nec balsama spirent, sed verni soleant emittere flores, ita ut omnes, qui adessent, se in Paradiso esse putarent (5).

Valde inter se discrepant Scriptores de tempore mortis BEDAE. Sunt qui A. 729 eum obiisse tradant (6), quod quam inconsiderate dictum sit, intelligitur ex eo, quod se Historiam suam A. 731, duobis igitur annis post, absolvisse, ipse BEDA disertis verbis testatur. Cujus testimonii memores, alii eundem hunc annum BEDAE ultimum duxerunt (7). Neque hoc recte. Novimus enim, quod

---

(1) Pro *quaedam* — *et* SIM. *Dun.* habet *spiritualia quaedam.* LELAND. *quaedam cecinit spiritualia. Et*, seqq.

(2) *Vivo et vero* deëst apud BAR.

(3) *Scito autem* — *de eo.* BARONIUS: «scire autem debes, quia adhuc multa narrari et scribi possent de eo.»

(4) *Attamen* — *audivi.* Desiderantur haec apud SIM. *Dun.* et LEL.

(5) GULIELM. *Malmesb. de Gestis Reg. Angl.* l. l. p. 21. TRITHEMIUS *de Viris Illustr.* Lib. II. c. 155. p. 91.

(6) G. CAVE *Script. Eccl. Hist. Literaria*, Oxon. 1740, Vol. I. p. 613. MARIANUS SCOTUS *in Annal.* Magis mirandum est fuisse, qui vel anno 700 eum mortuum esse dicerent. Vid. BARONIUM l. l.

(7) HERMANNUS CONTRACTUS, HEPIDANUS, SIGEBERTUS *Gemblacensis*, alii. Vid. GUNDLINGII *Observ. ad rem liter. spect.* Tom. XII. p. 192

et omnes ferme melioris notae Codices declarant, epitomen illam chronologicam, quam Historiae suae adjecit, ad annum usque 734 ab eo ipso esse continuatam. Quo quidem tempore BEDAM mortuum esse, probabiliori ratione plures conjiciunt (1); sed neque hic calculus probari potest. Etenim ex Epistola illa CUTHBERTI, quocum consentiunt omnes vetusti Scriptores, manifestum est, BEDAM ipso Ascensionis festo et VII. Kalendas Junias (die 26 Maji n. a.) obiisse; diem autem Ascensionis dominicae et septimum Kalendas Junii non in hunc annum, sed in sequentem septingentesimum tricesimum quintum concurrisse, ex tabulis Astronomicis notum est (2). Et sane in *Annalibus Ultoniensibus*, obitus ejus ad annum refertur 734, sive aerae nostrae vulgaris 735, cum hoc brevi elogio: «BEDA, sapiens *Saxonum*, requievit.» Item ad eundem annum auctor, qui BEDAE epitomen continuavit: «BEDA Presbyter obiit» (3). Hoc igitur anno, aetatis suae sexagesimo tertio, mortuum eum esse,

---

(1) Sic etiam *Chron. Saxon.* Edit. GIBSON. p. 54. *Alford Annal.* (auctor est GRIFFITH, e societate JESU) Vol. II. p. 536. J. BALEUS *Script. Illustr. Maj. Brit.* Cent. II. p. 97. TRITHEMIUS l. l. monuit, BEDAM anno 733, aetatis 72, obiisse, quam computandi rationem unde ille acceperit, non intelligo.

(2) Vid. *Suppl. Chronol.* BEDAE *Histor.* in *Rerum Brit. Script. Vetust.* p. 229. GUL. *Malmsb.* l. l. SIMEON *Dunelm.* apud X Scriptor. Coll. 8 et 77. HOVEDEN *Annal.* inter Historicos post BEDAM p. 402. STUBBS *Act. Pont. Eborac.* Columm. 1696. Cf. MABILLON. *Act. Bened.* Sec. III. Parte I. § 7. et A. PAGI *Crit. Hist. Chron. Annal.* BARONII Tom. IX. p. 1117. n°. IV. Scripserat quoque SMITH in nota ad *Epist. ad* EGBERTUM annum obitus BEDAE 734 fuisse, sed in Praefatione errorem correxit, certissimum esse dicens, eum proximo anno vitae esse defunctum.

(3) Cf. WARAEUS in Praef. ad Edit. *Opusc.* BEDAE, Dublin. 1664.

jam satis apud omnes constat. Contra quam sententiam quum maxime pugnare videantur, quae scripsit BARONIUS Cardinalis, verbo hic ejus error notandus est. Nimirum in mendosum Epistolae CUTHBERTI inciderat exemplar, in quo legeret, BEDAM e vita migrasse septimo die Idus Maji. Jam hoc die Ascensionis festum celebratum non esse videns, nisi anno 720, quo adhuc in vivis erat BEDA, aut anno 799, ad quem eum non putabat pervenisse, neque animadvertens, vitiose pro *Kalendas Junii* scriptum esse *Idus Maji;* omnino desperavit fore, ut verus mortis BEDAE annus ex hac Epistola cognosceretur (1). Quam ob rem aliam rationem ineundam esse ratus, confugit ad BEDAE Epistolam, quae ad WICHREDAM Presbyterum data, inscribitur: *De Aequinoctio juxta Anatolium* (2). Ibi nempe legitur: «Ut te exemplis ad inveniendam instruam feriam, qua XIV. occurrat luna, ut puta *anno praesenti dominicae Incarnationis* 776, sume Epactas hujus anni XXVI,» cet. Jam BARONIUS hinc cogit, BEDAM ad id certe temporis vitam produxisse, atque ideo annos saltem centum et quinque vixisse. Addit autem, si haec de longa BEDAE aetate non placeant, ut nova et hactenus inaudita, tunc negantibus incumbere laborem, ut hanc Epistolam BEDAE non esse, falsoque inter ejus scripta recenseri demonstrent (3). Nobis de ipsa Epistola suo loco dicendum erit; monere hic sufficiat, ratiocinationem, ex ea petitam, jam satis confutatam esse a MABILLO-

---

(1) BARONII *Annal.* Tom. IX. ad annum 731 pag. 145, 146, n°. XXIV.

(2) BEDAE Oper. Basil. Tom. II. p. 346. Colon. Tom. II. p. 230.

(3) BARON. l. l. p. 143, 144, n°. XIX.

NIO. Hic enim adnotavit, Epistolam interpolatam esse a librario, qui ipsum annum, quo illam describebat, exempli causa adferret. Cujus adnotationis probitas ex eo satis liquet, quod in vetustissimo hujus Epistolae exemplari, quod in Bibliotheca *Laubiensi* servatur, haec omnia desiderantur (1).

Obiit et sepultus est BEDA in monasterio *Girovici*, postea vero ejus ossa *Dunelmum* transportata sunt (2). Pro insana enim illorum temporum consuetudine colligendi et transferendi Sanctorum reliquias, ELFREDUS quoque, ecclesiae *Dunelmensis* Presbyter, per visionem scilicet jussus, antiqua monasteriorum et ecclesiarum loca in *Northumbria*, seculo XI ineunte, percurrit, Sanctorum ossa, quae ibi sepulta esse noverat, effodit populisque venerationi proposuit. Jam exquisito undique et collecto, quidquid de Sanctorum cadaveribus superesse videretur, vir bonus et religiosus, praeter alios multos, ex pio labore hos etiam cepisse dicitur fructus, quod effosso quoque BEDA suam ecclesiam ditaret. Quam rem magna verborum pompa descripsit SIMEON, rerum ejusdem ecclesiae narrator. Consueverat nempe ELFREDUS monasterium *Girviense*, ubi BEDAM doctorem vixisse, mortuumque et sepultum esse noverat, quotannis adire, ut, redeunte mortis ejus die, precibus vigiliisque se daret. «Quodam tempore, ait, juxta morem illo pergens,

(1) MABILL. *Act. Bened.* Sec. III. Parte I. Et *Analect. Vet.* Tom. I. pag. 9. Edit. Par. pag. 398. in Adnot. ad Epistol. BEDAE ad ALBINUM. — Ceterum nil adtinet hic dicere de aliis, qui annum mortis BEDAE perperam statuerunt. Sic v. g. CHIFFLETIUS probare voluit, eum ad annum 762 vitam produxisse. Vid. *Dissert. de auctore Hist. Eccl.* in Edit. BEDAE, Paris. 1681.

(2) GUL. *Malmesb.* l. l. Lib. I. Cap. 3.

cum aliquot ibidem dies solus in ecclesia orando et vigilando transegisset, nescientibus sociis, summo diluculo solus, quod ante nunquam consueverat, *Dunelmum* rediit, sui videlicet secreti nullum volens testem habere. Nam cum multis postea vixisset annis, ad praefatum monasterium tanquam jam adeptus id, quod concupiverat, amplius venire non curavit. Unde saepius a suis familiariter requisitus, ubinam Venerabilis BEDAE ossa requiescerent, certus de re inquisita sic erat solitus respondere: «Hoc, inquit, nemo me certius novit. Firmum, o dilectissimi, et procul omni dubio certum habeatis, quod eadem theca, quae sacratissimum corpus Patris CUTHBERTI servat, etiam ossa venerandi doctoris et monachi BEDAE contineat. Extra hujus loculi hospitium nemo quaerat portionem ejus reliquiarum.» Haec dicens, familiares suos silentio praecepit tegere, ne scilicet extranei, qui tunc in ecclesia ipsa conversabantur, injurias aliquas machinarentur, quorum summum erat studium, reliquias Sanctorum, et maxime BEDAE, si quas possent, auferre» (1). Cum CUTHBERTO igitur, celebri quondam ecclesiae *Lindisfarnensis* Episcopo, cujus laudes BEDA vivus celebraverat (2), *Dunelmenses* ipsius ossa colloca-

---

(1) SIMEON *Dunelm. Hist. de Dunelm. Eccl.* apud X. Script. Lib. III. c. 7. col. 32, 33. Scriptores autem *Biographiae Brit.*, quos secutus est auctor in *Biograph. Universelle anc. et mod.* Paris 1811. Tom. IV. pag. 39., in vita BEDAE, minus recte hominem GAMELUM vocant; nam quae hic apud SIMEONEM narrantur, non ad GAMELUM, sed ad «praefatum Presbyterum», i. e. ELFREDUM referenda sunt. Quod confirmatur libro illo incerti auctoris *de Episcop. Lindisfarn. et Dunelm.* apud LELAND. in *Collectan. de rebus Brit.* Edit. HEARNII Vol. I. Tom. II. pag. 331.

(2) BEDAE *Hist. Eccl.* Lib. IV. c. 27. seqq., et in duplici Vita CUTHBERTI, in Edit. SMITH. — Ceterum quae facta esse dicuntur, por-

verunt. Quod quum hoc fieret consilio, ut augerent ecclesiae suae laudem et existimationem, in eo quoque enixe operam posuerunt, ut rei veritatem probarent populique animis inculcarent. Memoratum illud est in carmine quodam de urbis *Dunelmensis* situ et laude, lingua *Saxonica* conscripto, quod cum aliorum Sanctorum, tum BEDAE etiam, reliquias ibi conservatas jactat (1). ALEXANDER quoque NECHAMUS, in libro *de Laude Divinae Sapientiae*, ubi de CUTHBERTO loquitur, haec habet:

— BEDA, vir egregius, associatur ei:
Ingenium cujus non mundus claudere posset,
Corpus honorandum capsula parva tegit (2).

Et sane, quum multis annis post una cum incorrupto Patris CUTHBERTI corpore alia insuper in sacco linteo ossa reperirentur, nullus dubitandi locus illius temporis su-

---

tenta et miracula in transferendo hujus CUTHBERTI corpore, legi possunt apud SIMEONEM *Dunelm.* Lib. III. cap. I., cujus narratio huc redit. ALDUINUM Episcopum, coelesti monitum oraculo, corpus illud, quod centesimo decimo tertio post sepulturam anno incorruptum invenisset, piratarum furori auferendum esse existimasse. Hoc autem peractum esse magna hominum comitante multitudine, quorum nemo in itinere ulla debilitate adfligeretur. Post menses vero aliquot, quum corpus in pristinum locum reportare visum esset, ad vehiculum, quo ferretur, movendum nullam vim, nullum laborem valuisse: sed incorrupti corporis thecam veluti montem stetisse immotam. Nunc quid faciendum esset, dubios haesisse omnes; donec EADMERO, magnae pietatis viro, patefieret, nusquam alibi nisi *Dunelmi* corpori sancto locum suum esse.

(1) *Is there inne mid theom — breoma bocera* BEDA. «Est inibi cum illis illustris Scriptor BEDA.» SIMEON *Dunelm.* in fine *Vitae* S. CUTHBERTI apud X. Script. Col. 76. Melius autem exhibetur carmen illud ad calcem operis.

(2) LELAND *Comment. de Script. Brit.* cap. 87. pag. 120.

pererat hominibus, quin hae omnino BEDAE essent reliquiae (1).

FULLERUS narrat, legatum quemdam extraneum, quum ducentos fere antequam scriberet annos *Dunelmum* advenisset, magnum illud sumtuosique operis scrinium, quo CUTHBERTI corpus continebatur, adiisse atque ita locutum esse: «Si tu Sanctus es, precare pro me.» Tum vero ad humile BEDAE sepulcrum se convertisse his verbis: «Tu, optime BEDA, Sanctus es, precare pro me» (2).

De origine cognominis *Venerabilis*, quo vulgo adpellatus est, variae sunt sententiae. Nonnulli dicunt, eum per magnam vitae partem hoc cognomine usum esse. Ferunt enim, quum *Romae* esset, ibique portam videret ferream, in qua hae literae, P. P. P. S. S. S. R. R. R. F. F. F. scriptae essent, quas nemo posset explicare (3), eum ibi aliquamdiu stetisse contemplantem; et *Romano* quodam rogante: «Quid adspicis, *Anglice* bos?» respondisse: «Confusionem vestram adspicio;»

(1) GUL. *Malmesb.* de *Gestis Pontif. Angl.* apud Script. post BEDAM praecip. Lib. III. pag. 278. SIMEON *Dunelm.* l. 1. colum. 33. *Decerpta* ex libro incerti auctoris *de Episc. Lindisfarn.* in LELANDI *Collectan.* Vol. I. pag. 378. — Postea vero BEDAE ossa hinc transvecta esse *Eboracum* ibique sepulta statuit CAVEUS, secutus auctoritatem SELLERI, qui hoc ex Codice *Canon. Eccl. Saxon.* in libro *Wigorniensi* pag. 103. refert, nota MS. in hunc locum. Vid. ejus *Hist. Liter.* Vol. I. pag. 613. — Et Tom. I. *Monastici Angl.* tam *Venerabilis* BEDAE, quam Abbatum *Girviensium* ossa in *Glastoniensi* Ecclesia haberi dicuntur.

(2) TH. FULLER *Church History of Great Brit.* Lond 1655. Cent. VIII. B. 2. pag. 98.

(3) Conferri meretur VALERIUS PROBUS *de Notis Romanorum interpretandis*, inter *Auct. Ling. Lat.* Lugd. 1658, p. 1470 et 1472.

hac simul ratione literarum viam declarantem: Pater Patriae Perditus, Sapientia Secum Sublata, Ruet Regnum Romae, Ferro Flamma Fama. Quibus auditis, omnem populum *Romanum* maximo eum honore dignum praedicasse, et singulari *Venerabilis* nomine insignivisse (1). Haec vero narratio nititur falsa illa opinione, BEDAM *Romae* fuisse. Alii autem perhibent, eum non nisi paulo ante mortem illa adpellatione esse ornatum. Dicunt nempe eum, quum per senectutem coecus esset, in locum quemdam, quo multi lapides in acervum congesti essent, discipulo quodam duce, pervenisse; hunc suasisse magistro, ut verba faceret ad populum, quem multo silentio et exspectatione magna ibi adstantem fingeret; tum virum Sanctum orationem magno animi ardore habuisse elegantissimam, quam quum usitatâ formulâ conclusisset: «Per *omnia* secula seculorum;» hanc vocem *edidisse* lapides: «Amen, Venerabilis BEDA» (2). Hujus fabulae narrator aliam ei adjungit, ex qua effeceris, BEDAM statim post obitum hoc cognomen esse nactum. Nimirum narrat, quemdam ex ejus discipulis, quum defuncti magistri sepulcro carmen leoninum inscribere constituisset, sic incepisse: *Hac sunt in fossa;*

---

(1) Ita JOAN. CAJUS *de Antiq. Cantabr. Acad.* pag. 104. RADULPHUS REMINGTON *de Gestis Regum Angliae.* H. SPELMANNI *Gloss. Archaeol.* Lond. 1687. in voce *Venerabilis.* J. J. HOFMANNI *Lexic. Univ.* Tom. I. in voce BEDA.

(2) PETRUS EQUILIN. in *Sanctorum Catalogo*, in vita BEDAE. BARON. l. l. n°. XXIV. — Quodammodo aliter alii, qui narrant BEDAE, cum concluderet his verbis: «Hoc nobis praestare dignetur Pater et Filius et Spiritus S.», respondisse Sanctos Angelos in aëre dicentes: Amen. Vid. *Compilatio Chronol.* in *Illustr. Veter. Scriptor. de rebus Germanicis* Tom. I. pag. 727. Francof. 1583.

tum ei succurrisse verba: BEDAE *Sancti* vel *Presbyteri ossa;* at vidisse eum metrum stare non posse, neque melius vocabulum invenisse, tandem vero taedio captum iisse dormitum; sed, ecce! mane in tumulo manibus Angeli reperisse scriptum:

«Hac sunt in fossa BEDAE *Venerabilis* ossa (1).»

Profecto credibilis magis et communi hominum sensui convenientior alia hujus nominis, quam nonnulli adferunt, causa est. Nimirum Homiliae a BEDA conscriptae, dum adhuc in vivis erat, tanti habebantur, ut eas publice in ecclesiis legere decerneretur. Jam ajunt eos, quibus legendi negotium mandatum esset, ob honoris novitatem deliberasse, quo titulo auctorem nominarent. Hos enim nec simpliciter *Bedam* dicere voluisse, neque eum, priusquam fatis functus esset, *Sanctum* vocare, quia alterum tali tantoque viro non conveniret, alterum ei justo plus tribueret. Tandem vero felici ingenio *Venerabilis* titulum inventum esse, quo via tanquam media iniretur (2).

At vero quam parum probabile hoc quoque sit, apparet vel ex eo, quod BEDA nusquam, quantum novimus, a sui temporis Scriptoribus hoc titulo adpellatur. HILDUINUS contra, ejusdem seculi Scriptor, in *Areopagiticis*, illum *Sanctum* BEDAM, ALBINUS FLACCUS, et ipse *Anglus* et BEDAE fere aequalis, in *Epistolis*, eum *Sacerdotem* et *doctorem eximium* vocat. (3). Quin ipsae

(1) PETRUS EQUILIN. et BARON l. l. De his fabulis etiam legi possunt CALVISIUS in *Chronicis* ad an. 734. DURANDUS in *Rationali Divin. Offic.* cap. 40. pag. 280.

(2) GABRIEL BUCCELLIN. *Meneolog. Benedict.* VI. Kal. Junii. FULLERUS l. c. pag. 99. SIXTUS *Sinens. Bibl. Sancta* L. IV. p. 219.

(3) Cf. GUNDLINGII *Observ. ad rem liter. spect.* Tom. XII. pag. 196.

illae Homiliae, quibus scribendis, talem honorem eum, nactum esse volunt, in vetustissimis Codicibus *dominum* BEDAM auctorem nominant (1). A nono tamen seculo *Venerabili* cognomen ei dari coeptum est, ut ex AMALARII, JONAE, Episcopi *Aurelianensis*, USUARDI, aliorumque scriptis novimus (2). Et in concilio *Aquisgranensi* secundo, anno 830 habito, *Venerabilis et modernis temporibus admirabilis* BEDA *Presbyter* adpellatus est (3). Paulatim enim factum est, ut titulum *Venerabilis* omnes Presbyteri communiter acciperent. Atque hunc ipsum loquendi usum peperisse opinor, ut BEDA quoque eo insigniretur. Verum tamen, cum vir magnae famae et auctoritatis esset, ejusque scripta multo crebrius quam alia laudarentur, hic honoris titulus nomini ejus tanquam privus et proprius adhaesisse videtur, ut eum constanter *Venerabilem* BEDAM dicerent.

Adjicimus hic Epitaphium illud in BEDAM compositum, quod primus exhibuisse deprehenditur GULIELMUS *Malmesburiensis*:

Presbyter hic BEDA requiescit carne sepultus:
Dona, CHRISTE, animam in coelis gaudere per aevum,
Daque illi Sophiae debriari (4) fonte, cui jam
Suspiravit ovans intento semper amore.

BARONIUS l. l. pag. 146, 147. no. XXVI. *Egregius doctor* BEDA dicitur in libro *de Gestis Abb. S. Albani*, quae scripsit MATTHAEUS *Parisiensis*, in vita EADMERI. Vid. LELAND *Collect.* Vol. II. Tom. 3. pag. 137.

(1) MABILL. *Annal.* Tom. II. Lib. XXI. pag. 100. ad annum 735.

(2) AMALAR. *De Divinis Officiis*, Lib. I. cap. 37. JONAS *Aurelian. De Institutione Laicorum*, Lib. I. cap. 16. USUARD. in *Martyrologio* ad Nonas Augusti.

(3) Conc. *Aquisgran.* secund. Praef. Lib. III.

(4) DU CANGE in *Glossario ad Scriptor. med. et inf. Latinitat.* Par. 1733. Tom. II. pag. 1321. in voce, ubi et citat Epita-

Quorum versuum tenuitatem indignatus, idem queritur GULIELMUS: «Poteritne ulla excusatione hic pudor extenuari, ut nec in monasterio, ubi illo vivente totius literaturae exsultabat gymnasium, potuerit inveniri homo, qui memoriam ejus formaret, nisi exili et miserabili stylo?» (1).

Aliud Epitaphium hoc est:

BEDA, Dei famulus, Monachorum nobile sidus,
Finibus e terrae profuit Ecclesiae.
Solers iste Patrum scrutandi per omnia sensum,
Eloquio viguit, plurima composuit.
Annos hac vita ter duxit rite triginta,
Presbyter officio, utilis ingenio.
Jani septenis viduatus carne Kalendis,
Angligena Angelicam commeruit patriam (2).

Profecto neque elegantia se hoc Epitaphium commendat, nec fide, siquidem in statuenda BEDAE aetate a vero aberrat. Melius se habet unus versus in laudem BEDAE, quem apud LELANDUM legimus:

Anglia te celebrat, te totus personat orbis (3).

Neque minoribus eum extollunt laudibus hi versus ad ALBINUM scripti:

---

phium BEDAE, verbum *debriare* interpretatur *inebriare*, *ingurgitare*, et per metaph. *replere*, atque illud interdum in bonam partem usurpatum esse monet.

(1) GUL. *Malmesb.* l. l. pag. 24.

(2) ARNOLD WION. *in Ligno Vitae* L. V. pag. 101. *Biogr. Brit.* in nota.

(3) E Cod. MS. in Bibl. *Cantabr.* apud LELANDUM *in Collect.* Vol. III. Tom. 4. pag. 23.

Hos, ALBINE, tibi, merito Venerabilis Abba,
Versiculos scripsit, verbi coelestis amator,
BEDA, Dei famulus, mira quos carminis arte
Composuit doctor, nostro qui clarus in orbe
Exstitit: ingenii cujus monimenta refulgent
Plurima, temporibus nullis abolenda per aevum (1).

Magna admodum in veneratione BEDA, ut ab aequalibus suis, ita maxime a posteris habitus est. Homilias ejus, dum inter vivos degeret, jam publice in ecclesia lectas esse, supra vidimus. Diem quoque festum ei consecrarunt, et in Calendario Anglicano ad diem vicesimum septimum Maji ejus nomen hodieque insertum est (2). Non multo post ejus mortem jam in morem venit, ut quique religiosiores, aut qui tales haberi volebant, ecclesiam *Girviensem*, in qua sepultus erat, precandi causa, singulis annis adirent (3), et erat aedium pars ad septemtrionem, BEDAE memoriae et nomini dicata (4). Cum *Dani* autem frequentes incursiones in *Britanniam* faciebant, plurima coenobii BEDAE aedificia iterum iterumque concussa adeoque solo aequata sunt. Et invadente

(1) Ex antiquo Codice Epigrammatῶν apud LEL. *Collect.* Vol. II. pag. 118. Vid. praeterea variorum Scriptorum testimonia in laudem BEDAE, collecta a POPE BLOUNT Genev. 1694. p. 339.

(2) Vid. H. WHARTON in Praef. ad *Opera quaedam Venerab.* BED. London 1693. Cf. etiam *Biogr. Brit.* et *de Antiq. Cantabr. Acad.* pag. 133—143. «Dr. J. ALLCOCK, Bishop of Ely, in a constitution of his printed by RICHARD PYNSON, directed the prayers for the soul of BEDE.»

(3) SIMEON *Dunelm.*, *de Dun. Eccl.* ap. X. Script. Lib. III. cap. 7. colum. 32.

(4) SIMEON *Dunelm.* l. c. Lib. I. cap. 14. col. 8. *Antiq. of Durham Abbey* pag. 109. *Hist. and Antiq. of Newcastle upon Tyne by* J. BRAND Vol. II. pag. 54.

has terras GULIELMO, *Normandiae* Duce, ecclesiam ipsam S. PAULI *Girviensem*, ejus ante oculos jussuque flamma consumsit (1). Superstitem vero antiqui coenobii partem longe postea inhabitarunt tres monachi, qui BEDAE oratorium visentibus solebant monstrare, itidemque ejus arulam, in qua media gemmae loco cernebatur crusta serpentini aut viridis marmoris (2). Seculo etiam duodecimo, ut ex SIMEONE *Dunelmensi* novimus, locus ostendebatur, ubi parvam de lapide mansionem habens, BEDA, omni cura liber, sedere, meditari, legere, dictare et scribere consueverat (3). Oratorium autem illud suo etiam tempore exstitisse testatur LELANDUS, humile quidem, ut ait, opus, et cameratum, utcunque tamen integrum, in quo et altare, sed neglectum (4). Et vero in loco, ubi nunc cernitur oppidum *Jarrow*, et olim stetit coenobium *Girviense*, fons est, BEDAE nomen habens, cui, ut jam diximus, magnam sanandi vim adtribuerunt homines, et ad quem quotannis magno numero confluxerunt accolae, gaudiis ludisque indulgentes (5). Et in ipsa hujus oppidi ecclesia reperi sellam quandam servari et rogantibus ostendi, quae, quod BEDA ei olim insedisse creditur, nomen ejus

(1) E *Prologo et Historia* ALUREDI, *thesaur. Beverlacensis eccl.* in LEL. *Collect.* Vol. II. pag. 229. GULIEL. *Malmesb.* Lib. I. cap. 3.

(2) E *Chronico incerti auctoris Whitbiensis* in LEL. *Collect.* Vol. III. Tom. IV. pag. 42.

(3) Vid. SIMEON *Dun.* l. l. Lib. I. cap. 14. Scripsit autem Sec. XII. *Antiq. of Durham Abbey* pag. 109. BRAND lib. cit. Vol. II. pag. 54.

(4) LELAND. *Comment. de Brit. Script.* cap. 87. pag. 118.

(5) Vid. ad pag. 8. not. 2.

retinuit, opus vetustum, rude, quernum, sed quo nihil populo carius est et antiquius (1).

Quum autem BEDAE ossa *Girvico* transportarentur *Dunelmum*, hujus urbis ecclesia fore existimavit, ut, tanti viri reliquiis gremio suo excipiendis, majorem famae celebritatem consequeretur. Et in laudem HUGONIS Episcopi, qui seculo XII medio Sedem *Dunelmensem* occupavit, praeter alia opera insignia hoc inprimis memoratur, quod in Sedis suae ecclesia feretrum quoddam construxit valde speciosum, auro et argento purissimo fabrefactum, lapidibusque pretiosis adornatum mirifice, in quo viri *Venerabilis*, BEDAE, Presbyteri et *Girviensis* monachi, ossa cum multorum aliorum Sanctorum reliquiis collocavit (2). Gloriabatur insuper eadem ecclesia, praeter alias res multas, antiquitate aut pretio raras, tunicae Sancti BEDAE doctoris possessionem (3). Exstat quoque ibidem BEDAE effigies, pulchris vivisque coloribus in vitro depicta (4).

---

(1) SURTEES *Hist. and Antiq. of the County Palatine of Durham* Vol. II. pag. 68. *A still more popular antiquity*, BEDE'S *chair is exhibited in the Vestry (of Jarrow's Church), — an old rude oaken seat, which appears to have been doled out with an axe, with the exception of the boards on the back, which are modern.*

(2) SIMEON *Dun.*, *Continuat. Hist. Eccl. Dunelm.* col. 67. *Auctor incertus de Episc. Lindisfarn. et Dunelm.* in LEL. *Collect.* Vol. I. Tom. II. pag. 333. — Monumentum marmoreum BEDAE, in occidentali templi *Dunelmensis* parte, suo tempore exstitisse memorat etiam JOAN. SPEDUS in *Theatr. Brit. de Episcopatu Dunelm.*

(3) Vid. *Index reliquiarum*, *Eccl. Dunelm.*, quem ex libro antiquo, plurimis in locis adeo vitiato, ut legi non posset, excudi curavit SMITH in Edit. laud. Append. Num. XV. pag. 742.

(4) *Antiq. of Durham Abbey* pag. 109. BRAND lib. laud. Vol. II. pag. 54, ELLIS *Observ. on popular Antiq.* Vol. II, pag. 270. Lond. 1813.

Inscriptionem tabulae, quae juxta BEDAE tumulum in Capella B. MARIAE *Dunelmi* hodieque ad murum pendet, exhibuit SMITH (1). Haec est:

BEDA

DEI FAMULUS ET PRESBYTER

VIR NON MINUS SANCTITATE QUAM SCIENTIA

VENERABILIS

HIC JACET.

Qui natus in territorio monasterii

Girwicensis, quod nunc *Jarrow* dicitur,

Cum esset annorum septem datus est Abbati BENEDICTO, et deinde CEOLFRIDO ibidem educandus, cunctumque ex eo vitae tempus in ejusdem monasterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedit, atque inter observantiam disciplinae regularis

et quotidianam cantandi in Ecclesia curam

SEMPER

AUT DICERE, AUT DOCERE, AUT SCRIBERE

SOLEBAT.

Decimo nono autem vitae suae anno Diaconatum, et tricesimo Presbyteratum, utrumque a S. JOANNE BEVERLACO Archiepiscopo *Eborum*

SUSCEPIT (2):

VIR OMNI LAUDE MAJOR,

De quo doctissimi illorum temporum homines hoc elogium protulerunt,

---

(1) Ad calcem Edit. supra laud.

(2) *Qui natus in — suscepit.* Haec ipsius BEDAE verba sunt in fine *Hist. Eccl.* Oper. Edit. Colon. Tom. III. pag. 151.

Anglum in extremo orbis angulo natum,
Ingenio suo universum orbem superasse (1),
Quippe qui omnium pene scientiarum et universae Theologiae arcana
penetravit, sicut opera ejus et volumina multa orbi Christiano notissima
ABUNDE TESTANTUR.
Quae etiam illo adhuc vivente tanti nominis erant et auctoritatis, ut ex ejus
Homiliis multa sacris Lectionibus sint addita, et ubique in ecclesiastico
OFFICIO PUBLICE ET SOLEMNITER RECITATA.
Constat eum aliq^do^ Discipulos habuisse celebratissimos, praeclara paulo post Ecclesiae lumina, ALCUINUM CAROLI MAGNI (2)

---

(1) «Vir in extremo natus orbis angulo, doctrinae corusco, terras omnes perstrinxit.» *Malmesb. Gest. Reg. Angl.* Lib. I. cap. 3. pag. 21.
«In extremo quidem mundi angulo vivens latuit, sed post mortem per universas mundi partes omnibus in libris suis vivens innotuit.» SIMEON *Dunelm., de Dun. Eccl.* Lib. II. cap. 14. Ejusd. *Epist. de Archiepisc. Eboraci* pag. 76.

(2) ALCUINUM sive ALBINUM FLACCUM nullo modo BEDAM magistrum habere potuisse, satis probatur eo, quod idem annus septingentesimus trigesimus quintus, quo ille diem supremum obiit, ALCUINI fuit natalis. Quod quidem perspectum non esse potuit BARONIO, quippe qui multo longiorem BEDAE vitam adscripserit. Dubitavit tamen, propterea quod nusquam in Epistolis suis ALCUINUS BEDAM magistrum suum vocat, verum ubique EGBERTUM *Eboracensem*. Vid. *Annal.* Tom. IX. ad annum 778. n°. XIII, XIV. Quod autem BARONIUS addit, ipsum BEDAM ALBINUM aequalem et amicum dicere, non vero discipulum, hujus loci non est. Notavimus enim jam supra, hunc ALBINUM cum ALBINO FLACCO non esse confundendum. Ceterum de ALCUINI juvenis institutione leg. ALCUINS *Leben, ein Beitrag zur Staats-Kirchen-und Culturgeschichte der Karolingischen Zeit, von* Dr. FR. LORENTZ. Halle 1829. pag. 6—15.

Regis praeceptorem, et CLAUDIUM atque CLEMENTEM,
qui primi *Lutetiae* docuerunt et *Galliam* bonis artibus
ILLUSTRARUNT.

Obiit in monasterio *Girwicensi* A. D. 734, aetatis suae 59 (1),
die quo Ascensionis Domini memoria celebratur,
et ibidem sepultus fuit:
Sed postea huc *Dunelmum* primo cum capite Regis OSWALDI
et corpore s. CUTHBERTI (2),
deinde in ista *Galilea* et Feretro per HUGONEM Episcopum
constructo ossa ejus sunt translata.
Epitaphium de eodem istud circumfertur:
Hac sunt in fossa BEDAE *Venerabilis* ossa.

Quaenam recte, aut minus recte, hoc in Epitaphio memorentur, supra disputata satis docebunt.

---

(1) Perperam, ut vidimus, et hoc statuitur. Quinquagesimum nonum aetatis annum BEDA adtigerat, quum Historiam suam absolveret, A. 731, quatuor annis post mortuus est. Vid. in fine *Hist. Eccl.*

(2) Haec inter reliquias Ecclesiae *Dunelm.* etiam enumerat SIMEON *Dunelm.* in *Continuat. Hist. de Eccl. Dun.* pag. 68. — Corpus autem CUTHBERTI, cum WALTERUS, Episcopus *Dunelmensis*, 414 post sepulturam annis, ut novis vestibus indueretur, de mausoleo tolli juberet, inter ejus brachia caput OSWALDI Regis incorruptum repertum est. HENR. KNYGHTON *de Eventibus Angliae* Lib. II. cap. 8. in Script. X. col. 2372 et 2377. Fertur etiam hujus Regis dextera, per pia vota AIDANI Episcopi, ipsius beneficentiam admirantis, semper incorrupta et integra mansisse. SIMEON *de Dun. Eccl.* Lib. I. cap. 2. JOAN. BROMPTON *Chronicon Regn. Northumbr.* col. 786, 787.

PARS POSTERIOR.

SCRIPTA BEDAE.

Quae adhuc de BEDA disputavimus, nobis ostenderunt vitam, nullis temporum vicissitudinibus turbatam, sed, rivuli instar, placide et tranquille decurrentem. Nunc hac in altera Disputationis parte agendum est de hujus viri *Scriptis*. Et multa quidem quum falso ei adficta sint, genuina a spuriis discernere conabimur. Praeterea inquiremus in singulorum librorum, qui eum auctorem habent, indolem, argumentum, consilium. Varias etiam Editiones operum ejus commemorabimus. Denique de tempore, quo scripta sint, nonnihil dicemus, prouti illud ex ipsius BEDAE verbis colligi potest.

Ut autem disputatio via et ratione procedat, initium capiemus ab iis, quorum Indicem ipse posteritati reliquit. Tum recensio sequetur quorumdam librorum, qui sine dubio a BEDA profecti sunt, sed in Indice illo desiderantur, quippe antea composito. Scripta vero minoris ponderis, quae ei vel dubitanter adtribuuntur, vel temere adfiguntur, silentio praetermittemus. Quum autem in publicis Bibliothecis *Londini*, *Oxonii*, *Cantabrigiae*, *Parisiis*, *Lugduni-Batavorum* inspexerimus,

quaecunque ad BEDAM pertinere viderentur, spes nobis non omnino deëst fore, ut satis plenam operum ejus recensionem in medium adferamus.

Series igitur librorum, ab ipso auctore *Historiae* suae *Ecclesiasticae Gentis Anglorum* adjecta, haec est (1):

In principium Genesis, usque ad nativitatem ISAAC, *et jectionem* ISMAHELIS, *libri IV.*

De Tabernaculo, et vasis ejus, ac vestibus Sacerdotum, libri III.

In primam partem SAMUHELIS, *i. e. usque ad mortem* SAULIS, *libri III.*

De aedificatione Templi, allegoricae expositionis, sicut et cetera, libri II.

Item in Regum librum XXX quaestiones.

In Proverbia SALOMONIS, *libri III.*

In Cantica Canticorum, libri VII.

In ISAIAM, DANIHELEM, *duodecim Prophetas, partem et* HIEREMIAE, *distinctiones Capitulorum ex tractatu* B. HIERONYMI *excerptae.*

In EZRAM *et* NEËMIAM, *libri III.*

In Canticum HABACUM, *liber I.*

In librum B. Patris TOBIAE, *explanationis allegoricae de* CHRISTO *et Ecclesia, liber I.*

Item, Capitula lectionum in Pentateuchum MOSI, JOSUAE, *Judicum.*

In libros Regum, et Verba dierum.

In librum B. Patris JOB.

In Parabolas, Ecclesiasten, et Cantica Canticorum.

---

(1) Sequimur praeclaram illam Editionem, quam ex antiquo MORI Codice curavit SMITH, Cantabr. 1722. Alii in serie Operum exhibenda paulum ab hac Editione discedunt.

In ISAÏAM *Prophetam,* EZRAM *quoque et* NEEMIAM.

In Evangelium MARCI, *libri IV.*

In Evangelium LUCAE, *libri VI.*

Omiliarum Evangelii, libri II.

In Apostolum, quaecunque in opusculis S. AUGUSTINI *exposita inveni, cuncta per ordinem transcribere curavi.*

In Actus Apostolorum, libri II.

In Epistolas VII Catholicas, libri singuli.

In Apocalypsin S. JOHANNIS, *libri III.*

Item, Capitula lectionum in totum N. Test., excepto Evangelio.

Item, Liber Epistolarum ad diversos: quarum de sex aetatibus seculi, *una est;* de mansionibus filiorum Israël, *una; una de eo, quod ait* ISAÏAS: «Et claudentur ibi in carcerem, et post multos visitabuntur»; de ratione Bissexti, *una;* de Aequinoctio, juxta ANATOLIUM, *una.*

Item, de historiis Sanctorum: librum vitae et passionis S. FELICIS *Confessoris, de metrico* PAULINI *opere in prosam transtuli.*

Librum vitae et passionis S. ANASTASII, *male de Graeco translatum, et pejus a quodam imperito emendatum, prout potui, ad sensum correxi.*

Vitam S. Patris, Monachi simul et Antistitis, CUDBERCTI, *et prius heroico metro, et postmodum plano sermone descripsi.*

Historia Abbatum Monasterii hujus, in quo supernae pietati deservire gaudeo, BENEDICTI, CEOLFRIDI, *et* HUAETBERCTI, *in libellis duobus.*

Historia Ecclesiastica nostrae insulae ac gentis, in libris V.

Martyrologium de natalitiis sanctorum Martyrum die-

bus; in quo omnes, quos invenire potui, non solum quo die, verum etiam quo genere certaminis, vel sub quo judice mundum vicerint, diligenter adnotare studui.

Liber Hymnorum, diverso metro, sive rhythmo.

Liber Epigrammatum, heroico metro, sive elegiaco.

De Natura rerum, et de Temporibus, libri singuli.

Item, de Temporibus, liber unus major.

Liber de Orthographia, alphabethi ordine distinctus.

Item, Liber de Metrica arte; et huic adjectus alius de Schematibus, sive Tropis libellus, hoc est, de figuris modisque locutionum, quibus Scriptura Sancta contexta est.

De singulis deinceps et secundum institutum nostrum agendum erit. Jam vero ipsum Indicem accuratius inspicientes, omnes libros, in eo indicatos, ad tria facile genera referri posse deprehendimus. Primum igitur dicemus de Commentariis in Vetus Testamentum, deinde de Commentariis in Novum Testamentum, denique de variis scriptis, ad Historiam, Chronologiam, Literas pertinentibus. Obiter notamus opera, BEDAE adscripta, conjunctim edita esse *Parisiis*, anno 1544, ibidem anno 1554, *Basileae* 1563, *Coloniae* 1612, repetita ibidem anno 1688. *Basileënsis* autem et *Coloniensis* 1612 adeo frequentatae sunt, ut alterutra certe in Bibliothecis fere omnibus publicis multisque privatis reperiatur. Quare utramque etiam citabimus, quotiescunque in iis exstant libri, qui secundum BEDAE Indicem a nobis recensendi sunt.

SECTIO I.

COMMENTARII IN VETUS TESTAMENTUM.

In principium Genesis, usque ad nativitatem ISAAC, *et jectionem* ISMAHELIS, *libri IV* (1).

Initium hujus libri, spectans Gen. I. et II, 1-3, exstat inter BEDAE Opera edita *Basil.* Tom. IV. p. 1-26, et *Colon.* Tom. IV. p. 1-18, inscribiturque *Hexameron.* Haec libri pars in *Orthodoxographis* et una alteraque *Bibliothecae Patrum* Editione perperam prodiit sub nomine JUNILII *Afri* (2). Quae desiderabantur usque ad Gen. XXI, 10, H. WHARTONUS, quum *Opera quaedam historica*, antea a WARAEO Dublinii 1664 edita, repeti curaret, una cum iis, ne justa volumini moles deësset, in lucem edidit ex antiquo Codice, in Palatio Archiepiscopi *Cantuariensis Lambethano* servato, Londini 1693 p. 1-143. Ubi ita in Praefatione ait: «Certe nobis *Anglis* fraudi non erit, scripta conterranei nostri celeberrimi in lucem emittere; quin potius pudori erit, ea tineis blattisque relinquere, quae exteri sedulo conquirunt, et e tenebris eripiunt. Neque enim de gentis nostrae gloria minus,

(1) Ita SMITH, quamvis alii Codd. habent III, uti et BARONIUS et WHARTONUS. Secundum hanc divisionem continet liber primus capita 1—9, liber secundus capp. 10—14, tertius capp. 15—21. Ceterum constat, totum opus non ultra Gen. XXI, 10. progredi.

(2) Vid. DALLAEUS *de vero usu Patrum.* Genev. 1656. pag. 16. SIXTUS *Sinensis Biblioth. Sancta*, Edition. Colon. Lib. IV. pag. 218. C.

quam alii, sumus solliciti, nec de BEDAE concivis meritis atque eruditione minus magnifice sentimus. Scriptor nuperus CASIMIR OUDIN nobis in opprobrium vertit, quod omnia BEDAE opera, e diversis Bibliothecarum nostratium, quibus abdita latent, forulis eruta nondum evulgaverimus; et vir Clar. JOAN. MABILLONIUS se Commentarium BEDAE in Epistolas PAULI genuinum (qui penes ipsum manet) luce donaturum esse dudum spopondit. Ne integra igitur BEDAE edendi gloria aliis relinquatur, ista saltem istius Commentaria *Anglis* primum evulgare liceat». — Haec ille, rem quod adtinet, satis recte, datoque exemplo, quod tamen, ut videbimus, non multi secuti sunt. Fragmenta hujus *Expositionis* jam antea juris publici fecerat idem WHARTONUS in *Auctario ad* USSERII *Hist. Dogm.* Lond. 1689. p. 356, seqq. Postea eam repetiit EDM. MARTENE in *Thesaur. Anecd.* Tom. V. pag. 115.

Jam BEDA hunc Commentarium *in initium Geneseos* rogatu ACCAE, Episcopi *Hagustaldensis*, scripsit ita, ut excerperet eum ex libris potissimum BASILII *Caesariensis*, quem EUSTATHIUS quidam de Graeco in Latinum sermonem verterat, AMBROSII *Mediolanensis* et AUGUSTINI *Hipponensis*. «Nimirum, inquit, quae tam copiosa, tam sunt alta, ut vix nisi a locupletioribus tot volumina acquiri, vix tam profunda nisi ab eruditioribus valeant perscrutari, placuit vestrae Sanctitati id nobis officii injungere, ut de omnibus his, velut de amoenissimis late florentis Paradisi campis, quae infirmorum viderentur necessitati sufficere, decerperemus» (1). Nunc

(1) BEDAE Oper. Tom. IV. pag. 1.

autem ipsis Patrum verbis, nunc, et quidem brevitatis causa, suis usus est. Primum, ut ipsa docet Praefatio, opus usque ad expulsum e Paradiso ADAMUM, i. e. ad finem capitis tertii Geneseos perduxit, spem faciens fore, ut post elaboratam *Expositionem Esdrae* inchoatum absolveret. Postea igitur scribere continuavit ad Gen. XXI, 10.

De Tabernaculo, et vasis ejus, ac vestibus Sacerdotum, libri III.

Tres hi libri (CAVEUS duos memorat, alii quatuor) inveniuntur in Edit. Operum Basil. Tom. IV. p. 1166-1280, et Colon. Tom. IV. p. 838-916 (1). Hujus operis mentionem facit ipse BEDA in libro *de Templo* SALOMONIS cap. 24 in fine, ubi libros citat, quos *de exstructione Tabernaculi et de habitu sacerdotali* scripsit. Continet igitur hic tractatus allegoricam interpretationem Tabernaculi ejusque supellectilis, ut et vestitus sacerdotalis. Quam interpretandi rationem auctor defendit PAULI verbis, 1 Cor. X, 11, ita locum vertendo reddens: «Omnia in figura contingebant illis (τύποι συνέβαινον), scripta sunt autem propter nos;» eique hanc adnotationem adjiciens: «Omnia videlicet non solum facta vel verba, quae Sacris Literis continentur, verum etiam locorum, et horarum, et temporum situs, et ipsarum quoque, in quibus gesta sive dicta sunt, circumstantia rerum.» Complectitur liber narrationem Mosaicam ab Exod. XXIV, 12 ad XXX, 21.

---

(1) *Expositio in Exodum a XXIV. capite usque ad trigesimum, de Tabernaculo*, cet. — Ita legitur in Catalogo SIXTI *Sin.* l. l. Lib. IV. pag. 219. A.

In primam partem SAMUELIS, i. e. *usque ad mortem* SAULIS, *libri III* (1).

Exstat hic liber inter Opera edita Basil. Tom. IV. p. 208-440, Colon. Tom. IV. p. 167-332. Scripsit eum auctor crebra hortatione ACCAE Episcopi, quem dilectissimum et desiderantissimum (desideratissimum?) omnium, qui in terra morantur, Antistitem adpellat. Quam longe autem interpretandi ratio allegorica anteponenda sit aliis, in initio hujus libri BEDA probare conatur ex locis Rom. XV, 4; 1. Cor. X, 11; Act. III, 24. Monet autem, JEREMIAM, JESAÏAM ceterosque Prophetas verbis, sed SAMUËLEM, JONAM et EZRAM vel suis vel aliorum rebus gestis, futura significasse. «Ne igitur, inquit, quae propter nos scripta sunt, nostro torpore vel incuria quasi aliena praetereant! Verum imitemur oportet Scribam illum, qui profert de thesauro suo nova et vetera, Matth. XIII. Nam si vetera tantummodo de thesauro Scripturarum proferre, hoc est, solas literae figuras sequi *Judaico* more curamus, quid inter quotidiana peccata correptionis (2), inter crebrescentes aerumnas seculi consolationis, inter innumeros vitae hujus errores, spiri-

---

(1) Sic legit SMITH. — BARONIUS, CAVEUS, Editt. Oper. habent IV. Liber primus continet secundum eos capita duodecim, secundus undecim, tertius decem, totidem quartus. Fortasse haec discrepantia inde explicanda est, quod BEDA, absolutis tribus libris, aliquanto post quartum scripsit.

(2) DU CANGE in *Glossario novo ad Script. med. aevi*, Paris. 1766. Tom. I. pag. 1160, de hac voce quaerit: «An idem, quod supra *Correctio*, flagellatio, quae pro animo defuncti Abbatis a monachis suscipiebatur?» Ita, at quonam sensu BEDA hac voce usus sit, apparet ex iis, quae praecedunt, ubi verba πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, 1. Cor. X, 11, vertendo reddidit: *ad correptionem nostram*.

talis doctrinae, legentes vel audientes acquirimus, dum aperto libro, v. g. beati SAMUËLIS, ELCANUM virum unum duas uxores habuisse reperimus: nos maxime, quibus ecclesiasticae vitae consuetudine longe fieri ab uxoris complexu, et coelibes manere propositum est, si non etiam de his et hujusmodi dictis allegoricum noverimus exsculpere sensum, qui vivaciter interius castigando, erudiendo, consolando reficit?» Hunc igitur virum, duas uxores habentem, typice designare dicit unum eundemque Dominum CHRISTUM, Synagogae pariter et Ecclesiae Redemptorem, Rectoremque semper credendum. ANNAM enim, quae *gratia* dicitur, Ecclesiam denotare; PHENENNAM, quae *conversio*, Synagogam (1). Cetera hujus viri, ut et totum SAMUËLIS librum priorem, BEDA ita exponit, ut, «non tam priscae aetatis hominis, quam potius ecclesiae Christianae historiam legere putes» (2). Neque mirum. Id enim se agere fatetur BEDA (3), ut SAMUËLEM Evangelistae non minus, quam Historici officio functum esse probet. Quod non pauco sudore se effecisse, ipse ait in Praefatione ad librum tertium. Nec tamen, ut ab hujus viri ingenio et doctrina jure meritoque exspectamus, desiderantur omnino, quae melioris frugis sunt. Librum certe secundum praecedit disputatio chronologica, qua inquiritur in tempus, quo et SAMUËL et SAULUS populo *Israëlitico* praefuerint? Tres libros absolverat BEDA paulo ante mortem CEOLFRIDI Abbatis, qui senex, HUETBERTHO successore constituto,

---

(1) Ad 1. Sam. I, 1, 2.

(2) Verbis usus sum ROSENMULLERI *Hist. Interpr. libr. N. T.* Tom. V. pag. 88—91.

(3) In Praef. ad Lib. I. *in Samuëlem*, pag. 168.

Romam profectus, in itinere diem obiit, anno 716 (1). Postquam autem, in monasterio rebus in pristinum ordinem redactis, BEDAE etiam otium et alacritas redierant, quartum iis librum addidit (2).

De aedificatione Templi, allegoricae expositionis, libri II.

Memorant duos libros etiam BARONIUS, CAVEUS, FABRICIUS, et Editt. Operum BEDAE in Indicibus, quamvis ipsum opus uno libro viginti quinque capitum constat. Legitur in Edit. Basil. Tom. VIII. p. 1-73, Colon. Tom. VIII. p. 1-52, et memoratur ab ipso BEDA in *Epistola ad* ALBINUM *Abbatem*, quam primus MABILLONIUS publici juris fecit (3), ubi illud scriptionem vocat *de Structura templi* SALOMONIS. Eandem autem allegoricam interpretandi rationem, quam in describendo Tabernaculo secutus est, in hoc quoque libro cernimus. Dei igitur aedem, quam a SALOMONE Rege aedificata esset, exstructam esse dicit in effigiem Sacrae Catholicae Ecclesiae, quae a primo electo usque ad ultimum, quando exitio mundus dabitur, per Regis pacifici, sui videlicet Redemptoris, gratiam quotidie exaedificetur. Ceterum Commentarium hîc habemus in 1. Reg. V—VII, coll. 2. Chron. II—V.

In Regum librum XXX quaestiones.

NOTHELMUS, Ecclesiae *Londinensis* Presbyter, locos quosdam ex libris Regum, i. e. SAMUËLIS et Regum, qui sibi difficiliores videbantur, ad BEDAM explicandos

---

(1) Vid. BEDA *Hist. Abbat. Wiremuth. et Girw.* Edit. WHART. Lib. II. pag. 239, 240.

(2) *In Samuëlem* Lib. III. cap. 10. in fin. et Praef. ad Lib. IV. Oper. Tom. IV. pag. 293.

(3) Excusa reperitur in *Analect. Veter.* Edit. nov. Parisiens. pag. 398.

miserat. Cui roganti statim ille satisfecit, et ita quidem, ut ad triginta ex his Propositiones graviores brevibus capitibus, quo melius inveniri possent, responderet; cetera vero, sive nomina, sive verba, quae promiscue adnotaverat NOTHELMUS, in aliis scedulis seorsum collecta et explicata transmitteret. Leguntur illae *Quaestiones* in BEDAE Operum Edit. Basil. Tom. IV. p. 441-462, Colon. Tom. IV. p. 333-347. Ipse vero auctor in Praefatione probe se scire dicit, plurima iis in libris inveniri obscuriora, quam quae NOTHELMUS inquirenda sibi proposuisset; saepius tamen fieri solere, ut qui obscuriora nonnulla, quod dilucide ab aliis essent explicata, jam satis intelligat, in quibusdam facilioribus incertus ac dubius haereat.

Locos, quos triginta Quaestiones spectant, quippe in Editt. non indicatos, hîc adponimus:

I. Sam.	II, 35.	I. Reg.	XVI, 34.
»	III, 19.	»	XX, 10.
»	VI, 19.	II. Reg.	XI, 5.
»	VII, 2.	»	XI, 12.
»	XX, 14, 15.	»	XII, 15.
»	XXV, 29.	»	XIV, 7.
II. Sam.	I, 18.	»	XIV, 25.
»	VIII, 2.	»	XVII, 29, 30.
»	XXIII, 8.	»	XVIII, 32.
»	XXIII, 20.	»	XX, 9.
I. Reg.	VI, 2.	»	XXII, 14.
»	VI, 8.	»	XXIII, 10.
»	VI, 9.	»	XXIII, 11.
»	VIII, 8, 9.	»	XXIII, 13.
»	VIII, 65.	»	XXIV, 14.

In Proverbia SALOMONIS, *libri III.*

Hi libri, qui inter HIERONYMI opera perperam editi sunt (1), leguntur in BEDAE Operum Edit. Basil. Tom. IV. p. 869-983, Colon. Tom. IV. p. 634-713. *Parabolarum* autem, id est, *Similitudinum* adpellationem auctor a SALOMONE usurpatam esse monet, ut sciremus, quae dicat, non proprie, sed altiori sensu esse intelligenda. »Notandum autem est, inquit, vulgatam Editionem pro *Parabolis*, quae hebraice *Missae* vocantur, *Paroemias* i. e. *Proverbia* dicere. Sed nec ipsum nomen abhorret a vero. Quae enim *parabolae* recte nuncupantur, quia occulta sunt, possunt non incongrue etiam *proverbia* vocari: quia talia sunt, quae merito saepius in ore colloquentium versari, ac memoria debeant retineri. Nam et proverbia plerumque tam obscure dicuntur, ut non immerito eadem possint etiam parabolarum nomine notari.« Ad locum Cap. X, 1, contendit, ideo novum titulum esse positum, quod novum genus locutionis incipiat, cum non amplius, sicut prius, de singulis bonorum, malorumve partibus disputet Scriptor, sed alternis versibus actus utrorumque describat (2). Parabolas, quae viris EZECHIAE tribuuntur, Cap. XXV, 1, BEDA primum dispersas inque diversorum manibus fuisse censet, quorum industria postea in unum collectae et huic libro insertae sint. Notavit autem, in his multo plura, quam in ceteris, allegorice esse accipienda (3).

(1) Cf. FABRIC. *Biblioth. Lat. Med. Aev.* Edit. MANSI Tom. I. pag. 190. DALLAEUS l. l. pag. 16. SIXTUS *Sinens.* l. l. pag. 219. A.

(2) *In Proverbia Salomon.* Lib. II. cap. 10. init.

(3) Ibid. Lib. III. cap. 27. init.

Non abs re esse videtur hic monere, libellum illum *de Muliere forti*, qui in Editionibus Basil. Tom. VII. p. 627-638, Colon. Tom. VII. p. 459-467 seorsum exhibetur, nihil aliud continere quam postremam partem Commentarii BEDAE in Proverbia, nimirum in Cap. XXXI, 10-31; quod non solum editores Operum ejus, sed Criticos etiam, quos inspicere mihi contigit, fugisse miror. Quae porro ibidem p. 650, et p. 476 sequuntur, *Fragmenta allegoricae interpretationis in Proverbia*, ab homine incerto ex BEDAE aliorumque scriptis compilata esse videntur. Adnotationem enim in Proverbiorum Cap. XXX, 29-31, paucis exceptis, cum interpretatione BEDAE omnino convenire reperi.

In Cantica Canticorum, *libri VII*.

Exstant septem hi libri, diversi admodum argumenti, in Edit. Basil. Tom. IV. p. 984-1166, Colon. Tom. IV. p. 714-838. Liber primus scriptus est contra JULIANUM (1), Episcopum *Celanensem* a *Campania*, eundemque, ut rhetorem peritissimum, ita gratiae Dei post PELAGIUM acerrimum adversarium, eo consilio, — sunt ipsius auctoris verba, — ut lector illius viri scripta cautissime legat, «ne per copiam loquentiae blandientis, in coenum incidat doctrinae nocentis, verum in ejus dictis sanos sensus scrutetur et eligat, at non minus vitet insanos, vel potius illud faciat MARONIS:

Qui legitis flores, et humi nascentia fragra,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.»

De ceteris autem libris eundem audiamus BEDAM, in Praefatione ad librum septimum. «In *Expositione Cantici Canti-*

(1) Leg. VOSSIUS *Hist. Pelag.* Lib. I. cap. 4. § 4.

corum, inquit, quam libris quinque explicavimus (nam primum hujus operis volumen contra JULIANUM pro defensione gratiae Dei, quam ille impugnavit, specialiter confecimus), ita Patrum vestigia secuti sumus, ut interim opuscula dilecti Deo et hominibus Papae ac Patris nostri GREGORII relinqueremus intacta; jucundius fore legentibus rati, si ea, quae in explanationem hujus voluminis per opuscula sparsim disseruit, quasi in unum collecta volumen, pariter omnia poneremus. Credatur ergo septimus in Cantica Canticorum liber nostro quidem labore collectus, sed beati GREGORII sermonibus et sensu compositus.» Ita BEDA. Et sane indefesso labore ex GREGORII operibus singula quaevis, ad Canticum SALOMONIS pertinentia, excerpsit inque unum coëgit librum septimum. Interpretationem autem ipsius Cantici, quae libris II—VI legitur, sic instituit, ut ostendere conaretur, sponsum sponsamque CHRISTI et Ecclesiae, quippe Regis aeterni ejusque civitatis, imaginem referre.

In ISAÏAM, DANIHELEM, *duodecim Prophetas, partem et* HIERREMIAE, *distinctiones Capitulorum ex tractatu* B. HIERONYMI *excerptae.*

Haec BEDAE scripta in Editt. Basil., Colon. ceterisque non inveniuntur. Commemorat tamen SIXTUS *Sinensis*, ex TRITHEMIO Cap. 242, BEDAE libros octodecim in Prophetas majores minoresque, nempe in JESAÏAM libros duos, in JEREMIAM duos, in EZECHIËLEM unum, in DANIËLEM unum, in XII Prophetas minores libros singulos (1). Commentarium in JESAÏAM inter deperditos ponit CAVEUS(2).

(1) *Bib. Sanct.* Lib. IV. pag. 219. C.
(2) *Hist. Liter. de Script. Eccl.* Sec. VIII. pag. 616.

In EZRAM et NEHEMIAM, *libri III.*

Continet haec *Expositio* libros duos in EZRAM, unum in NEHEMIAM, qui et EZRA secundus dicitur, et exstat in Edit. Basil. Tom. IV. p. 462-588, Colon. Tom. IV. p. 348-477. Hujus operis, ad ACCAM Antistitem eoque hortante scripti, mentionem facit BEDA in Praefatione ad *Hexameron* (1). Jam quemadmodum in ceteris V. T. Expositionibus, sic et in hac, sensu grammatico neglecto, altius quid et dignius sibi reperire videtur (2). HIERONYMI autem *Explanationem Prophetarum* maximo sibi adjumento fuisse testatur.

In Canticum HABACUC, *liber unus.*

Hic liber Editionibus Operum BEDAE non insertus, sed una cum Commentario ejus in Genesin ex duobus MSS. Bibliothecae *Lambethanae*, iisdemque sine dubio, quae memorat CAVEUS (3), juris publici factus est ab H. WHARTONO l. l. pag. 191, seqq. Jam antea tamen ille fragmenta quaedam dederat in *Auctario ad* USSERII *Hist. Dogm.* p. 356, seqq. Totam vero scriptionem repetiit EDM. MARTENE l. c. Tom. V. p. 295. Hoc autem in libro, qui dilectissimae in CHRISTO sorori dedicatus est, BEDA omnia, quae Canticum vatis divini continet, ad CHRISTI adventum hanc in terram, mortem, reditum in vitam, et abitum in coelos refert. Nec mirandum igitur, eum laudare Ecclesiam Romanam, quod Canticum

(1) Oper. Tom. IV. pag. 1.

(2) « Confido vero adjutore ac salvatore nostro, J. C., quia donet nobis propitius, retecto cortice literae, altius quid et sacratius in medulla sensus spiritalis invenire. » Praef. in Lib. I.

(3) L. cit. pag. 615.

illud per singulas hebdomadas in Laudibus matutinis solemniter repetere soleret.

In librum B. Patris TOBIAE, *explanationis allegoricae de* CHRISTO *et Ecclesia, liber unus.*

Adest in BEDAE Operibus Edit. Basil. Tom. IV. p. 588-601, Colon. Tom. IV. p. 437-447. Magnopere hujus libri lectionem commendat BEDA. « Liber S. Patris TOBIAE, inquit, et in superficie literae salubris patet legentibus, utpote qui maximis vitae moralis et exemplis abundat et monitis. Et si quis eundem etiam allegorice novit interpretari, quantum poma foliis, tantum interiorem ejus sensum videt simplicitati literae praestare. Maxima namque CHRISTI et Ecclesiae sacramenta, si spiritaliter intelligitur, in se continere probatur. Siquidem ipse TOBIAS populum *Israël* designat, qui, cunctis gentibus idololatriae deditis, ipse serviebat Deo fide recta et operibus justis, sicut de TOBIA legitur. »

Capitula lectionum in Pentateuchum MOSI, JOSUAE, *Judicum.*

Inter BEDAE Opera Tom. IV. Edit. Basil. p. 1-108, Colon. p. 19-167, leguntur *Expositiones* quinque librorum MOSIS, et Tom. VIII. Edit. Basil. p. 190-365, Colon. p. 78-262, *Quaestiones in Pentateuchum*, JOSUAM, *Judices* et RUTH. SIXTUS *Sinensis* quoque, in Catalogo Operum BEDAE (1), cum *Collectanea* tum *Quaestiones* in quinque libros MOSIS, *Quaestiones* item in JOSUAM, Judices et RUTH, memorat. Verum tamen, quae in Tomo VIII. exstant, non ad BEDAM, sed ad Scriptorem recentioris aetatis,

(1) Op. cit. Lib. IV. pag. 218. A.

referenda esse, probat OUDINUS (1). Etenim in *Quaestionibus in Genesin* auctor semel atque iterum citat interpretationem Alphabeticam Nominum *Hebraeorum*, quam MSS. Codices adtribuunt REMIGIO, Monacho *Autissiodorensi*, circa annum 900 doctori celebri. *Expositionem* vero *Pentateuchi*, quam continet Tomus Operum quartus, a BEDA scriptam esse censet. Similiter ROSENMULLERUS, exempla inde congerens ad ostendendam interpretandi rationem, quam BEDA secutus est (2). Mihi quidem, utrum ille vere auctor fuerit, an alius quis, nondum satis exploratum est. Ceterum, ut *Quaestiones in V. et N. T.*, a BEDA conscriptae, sibi mitterentur, petiit LUPUS *Ferrariensis*, *Epist.* 62.

In libros Regum, et Verba dierum.

Inveniuntur quidem *Quaestiones de quatuor libris Regum*, id est, SAMUELIS et *Regum* inter BEDAE Opera Tom. VIII. Edit. Basil. p. 357-388, Colon. p. 262-285 (3). Huc autem pertinent, quae supra de *Capitulis lectionum in Pentateuchum*, cet. adnotavimus, cum manifesto eundem auctorem prodant.

Vocabulis *Verba dierum*, דברי הימים, ut notum est, significatur *Chronica* Literarum Sacrarum.

In librum B. Patris JOB.

Qui leguntur in Operum Edit. Basil. Tom. IV. p. 602-869, Colon. Tom. IV. p. 477-633, tres libri in JOBUM, ad NECTARIUM Episcopum scripti, BEDAE

(1) CAS. OUDIN. *Comment. de Script. Eccl. Antiq.* Tom. I. pag. 1706.
(2) ROSENM. l. c. Tom. V. pag. 83—88.
(3) De Quaestionibus XXX in libros Regum, quae Tom. IV. exstant, a BEDA conscriptis, supra jam monuimus, pag. 56.

omnino non sunt, sed PHILIPPI Presbyteri, cui opus illud adtribuit GENNADIUS (1), qui ducentis et amplius ante BEDAM annis scripsit. Erat ille PHILIPPUS discipulus HIERONYMI, unde fortasse explicandum, quod hujus quoque nomine iidem Commentarii laudantur a FAUSTO *Regiensi* jam seculo V medio (2). Neque hunc Commentarium in Catalogo memorat TRITHEMIUS. Post cujus demum aetatem (obiit A. 1516) una cum BEDAE Operibus editus est. Exstat autem in Bibliotheca *Bodleiana* Codex MS., charactere *Saxonico*, qui hunc librum cum auctoris PHILIPPI nomine continet. Juris publici factus est Codex, Basileae A. 1527. Ejusdem auctoris et operis mentio quoque fit in libello *de Ratione Unciarum*, qui inter BEDAE Opera reperitur.

In Parabolas, Ecclesiasten, et Cantica Canticorum.

In ISAÏAM *Prophetam*, EZRAM *quoque et* NEËMIAM.

Haec scripta neque cum Operibus BEDAE, nec separatim edita sunt. Utrum in Bibliothecis adhuc lateant, an perierint, defuit mihi explorandi facultas.

---

(1) In libro *de Viris Illustribus* cap. 62.

(2) Vid. SIXT. *Sinens.* l. l. Lib. IV. pag. 218. C. CAS. OUDIN. *Comment.* Tom. I. pag. 1694. FABRIC. in Op. laud. Edit. MANSI Tom. I. pag. 190.

SECTIO II.

COMMENTARII IN NOVUM TESTAMENTUM.

In Evangelium MARCI, *libri IV.*

Scripsit BEDA hanc *Expositionem*, ut apparet ex Epistola ad ACCAM Episcopum ei praemissa, annis plurimis post Commentarium in LUCAM. Legitur inter Opera Edit. Basil. Tom. V. p. 1-175, Colon. Tom. V. p. 92-213. Maximo in honore jam habebantur seculo VII. et VIII. veteres Ecclesiae doctores, nec tamen eorum scripta propter librorum caritatem in multorum manibus erant. Horum igitur dicta excerpere, et in unum volumen colligere, praecipue BEDAE propositum erat; quod tamen ita perfecit, ut et sua interdum, ubi opportunum videretur, adderet. Farragine autem adnotationum variis ex libris congesta, mirandum sane non est, interpretandi etiam rationem vehementer fluctuare, ita ut nunc regulas sequatur Grammaticas, nunc vero allegoriis lusibusque ingenii omnino indulgeat. Ne tamen Majorum dicta tanquam sua proferre videretur, et ut inter singulorum Patrum placita discernere posset lector, commodum duxit, quemque in margine primis nominis sui literis significare. Et a librariis enixe petiit, ut, si librum descriptu dignum judicarent, literas illas exemplo adjicerent (1). Cui auctoris voluntati, quum eae in vetustissimis Codicibus omnino desint, mi-

(1) Vid. Praef. *in Marcum*, et *in Lucam*. Edit. Basil. Tom. V. pag. 1. et 475, Colon. pag. 92 et 215.

nime obtemperasse videntur librarii (1). Unde sequitur, perquam difficile dictu esse, quaenam ab ipso BEDA profecta, quaenam ab aliis desumta sint.

In Evangelium LUCAE, *libri VI.*

De his libris, qui inserti sunt Oper. Edit. Basil. Tom. V. p. 175-515, Colon. Tom. V. p. 215-451, eadem animadvertenda sunt, quae de *Commentario in* MARCUM notavimus. Praecedit autem Epistola ACCAE Episcopi, in qua BEDAE dubia moventi occurrit, eumque strenue admonet, ut post *Expositionem Actuum Apostolorum* in LUCAM quoque scribat; simulque eum rogat, ut suas Literas libro praemittat, e quibus vera causa, ob quam opus aggressus sit, cuivis legenti pateat. Neque enim, ait, amicis Fratribusque morem gesserat, ut AMBROSII aliorumque, qui de LUCA scripserant, laudem sibi sumeret, aut iis meliora de suo proferret, verum ut, quae ab aliis aut sublimius aut obscurius essent dicta, haec simpliciori stylo proponeret et explicaret. Denique ACCA BEDAE significat, eum in nonnullorum reprehensionem incidisse, quod novam Apocalypseos interpretationem secutus esse videretur. Ad haec BEDA amicissimo modo respondet, statim diligentem operi manum admovens, «in quo, inquit, ut innumera monasticae servitutis retinacula praeteream, ipse mihi dictator simul, notarius, et librarius exstiti.»

Omiliarum Evangelii, libri II.

Has Homilias laudat BONIFACIUS in Epistola ad EGBERTUM, Episcopum *Eboracensem*, quem rogat, ut mittere

---

(1) Cf. RICH. SIMON *Histoire Critique des principaux Commentateurs du N. T.* Chap. 24. pag. 340.

sibi velit *Lectionarium anniversarium*, «quod praedicantibus habile, et manuale, et utilissimum esse videatur» (1). Plurimae autem BEDAE circumferuntur *Homiliae* et *Sermones*. Operibus ejus insertae sunt *Homiliae Aestivales de Tempore* 33, *Homiliae Aestivales de Sanctis* 32, *Homiliae Hiemales de Tempore* 15, *Homiliae quadragesimales* 22, *Homiliae Hiemales de Sanctis* 16, *Sermones ad populum varii* 22, et leguntur in Edit. Basil. Tom. VII. p. 1-514, Colon. p. 1-369. Seorsum quoque prodierunt *Parisiis* et *Lovanii*, duobus voluminibus. Undecim autem BEDAE Homilias in lucem protulit EDM. MARTENE (2). Arduum et molestum esset discernere, quaenam ex his omnibus BEDAM auctorem habeant, nisi MABILLONIO contigisset his in tenebris aliquid lucis adferre. Duos igitur Codices MSS. pervetustos Bibliothecae *Thuaneae*, nunc *Colbertinae*, qui BEDAE *Homilias* continent, inspicere et inter se comparare illi licuit. In altero, ante annos octingentos exarato, Homiliae XXXIX continua serie exhibentur; in altero, qui ducentis annis post scriptus est, distinguuntur Homiliae in duos libros, quorum prior XXV, posterior XXIV continet, praemissis ad utrumque *Capitulationibus*. Qui uterque quum quadraginta novem tantum habeat Homilias, et in editis BEDAE Operibus non pauciores quam CXL legantur, satis liquet, plurimas aut supposititias esse, aut dubias, aut certe ex aliis BEDAE in Evangelistas Commentariis desumtas. Quapropter jam rectissime notavit SIXTUS *Sinensis*, non omnes esse Homilias aut Sermones, quae proprie ita

(1) BONIFACII Epist. 9 et 85.
(2) Op. cit. Tom. V. pag. 317.

dicuntur, sed potius lacinias Expositionum, ab incerto auctore ex BEDAE scriptis revulsas, et in volumine Sermonum repositas (1). *Recapitulationes* Codicis majoris, cum altero apographo collatas, exhibuit MABILLONIUS *in Elogio* BEDAE, et ex eo descripsit OUDINUS *in Commentario* (2).

In Apostolum, quaecunque in opusculis S. AUGUSTINI *exposita inveni, cuncta per ordinem transcribere curavi.*

Qui feruntur BEDAE *Commentarii in omnes Epistolas* PAULI, inprimis ex AUGUSTINI operibus collecti, editi jam sunt anno 1499 a GAUFRIDO BOUSSARDO. Deinde inter BEDAE opera omnia prodierunt Tom. VI, Edit. Basil. p. 1-1133, Colon. p. 31-823, ubi in fine legitur ejusdem BOUSSARDI ad PETRUM *Securibilem*, Archidiaconum *Rotomagensem*, de illo BEDAE et AUGUSTINI opere judicium sive censura. «Novum opus, inquit, novum genus exposcit laudis. Novum opus cuditur, non parva laude dignum, BEDAE et AUGUSTINI. Cujusnam dicam, AUGUSTINI vel BEDAE, non satis compertum habeo. Ergo, ut rectius loquamur, BEDAE dicamus pariter et AUGUSTINI. AUGUSTINUS egit, BEDA compegit. AUGUSTINUS texuit, BEDA contexuit. Ille multa sacra pictaciola in Apostolum variis in locis scribendo dispersit, hic dispersa in unum pulchre redegit. Ille posuit et exposuit, hic ex illo nobile volumen composuit. Quae enim AUGUSTINUS innumeris ferme opusculis suis varie in sacras PAULI Epistolas disperserat, BEDA tanta diligentia et arte collegit in unum, ut non diversis in operibus variove tem-

(1) *Bibl. Sanct.* Lib. IV. pag. 219. C.
(2) MABILL. *Act. Sanct. Ord. Ben.* Sec. III. Parte I. pag. 556. n°. 31. OUDIN. *Comm.* Tom. I. pag. 1699.

pore, sed ex industria unoque spiritu ipse AUGUSTINUS videatur tam nobiles in Apostolum scripsisse Commentarios.» — Hos autem Commentarios postquam MABILLONIUS, vir eruditissimus, *in Elogio* BEDAE, genuinum BEDAE foetum esse dixerat, reperto in MSS. germano illius opere, sententiam mutare coactus est, et in *Analectis* peculiarem *de* BEDAE *an* FLORI *Commentariis* edidit disquisitionem (1). Nimirum de hoc opere dubia jam protulerat ROBERTUS Abbas, hunc Commentarium tribuens PETRO, Abbati *Tripolitano*, BEDAE vero breviorem quemdam, e libris itidem AUGUSTINI excerptum, «qui liber totus, inquit, non adaequatur magnitudine medietati solius Expositionis Epistolae ad Romanos, quae in alio Commentario habetur» (2). BARONIUS etiam a BEDA hoc opus esse profectum omnino negat, atque ea, quae hac de re in Indice BEDAE leguntur, aliunde irrepsisse opinatur. Nec tamen cum SIGEBERTO scripta illa FLORO cuidam Abbati adtribuit, sed ex CASSIODORO probare conatur, PETRUM, Abbatem *Tripolitanum*, verum eorum esse auctorem (3). Horum neutri, neque etiam BARTHOLOMAEO *Urbinati*, ut SIXTUS et alii volunt (4), Commentarios

---

(1) MABILL. *Acta* Sec. III. Part. I. pag. 559. n°. 33. *Analect. Vet.* Tom. I. pag. 12. Edit. nov. pag. 488. seqq.

(2) ROBERTUS *de Torinnejo* in Prologo ad *Abbreviat. Exposit. Epist. ad Apost. secundum* AUGUSTINUM. Vid. MABILL. *Analect. Vet.* l. l.

(3) Vid. SIGEBERTUM *de Script. Eccl.* cap. 68. CASSIODORUM *Inst. Divin. Lect.* cap. 8. BARONII *Annal.* Tom. VIII. ad annum 562. n°. XVI. Contra quos BEDAE illud opus vindicat BELLARMINUS *de Script. Eccl.* annis 700—800. Oper. Tom. VII. pag. 117.

(4) Loc. cit. Lib. IV. pag. 219. A. De BARTHOLOMAEI in V. et N. Test. Commentariis leg. FABRIC. l. l. Tom. I. pag. 181.

deberi, sed FLORO, Diacono ecclesiae *Lugdunensis*, Monacho s. TRUDONIS, pluribus demonstrat MABILLONIUS (1). At non solum ipse BEDA ejusmodi opus se confecisse in Indice declarat, sed ejus *Collectaneum in Apostolum, ex operibus* AUGUSTINI *descriptum*, sibi ante oculos fuisse testatur LUPUS *Ferrariensis* ad HINCMARUM, illud mittere non ausus, propterea quod tantus erat liber, «ut nec sinu celari, nec pera contineri satis commode posset» (2). Genuinum hunc BEDAE in Epistolas PAULI Commentarium, duobus Codicibus membranaceis descriptum, invenit MABILLONIUS, quorum alter Epistolâ ad *Thessalonicenses* finitur, alter omnes Epistolas complectitur. Vir autem diligentissimus eos in lucem se esse editurum pollicitus est (3). Lucem tamen nondum viderunt.

---

(1) In Disquis. peculiari laud. pag. 488. n°. 3. Vid. etiam pag. 18. Observ. 3. TRITHEMIUS, qui Codicem, ejusdem FLORI nomine inscriptum, reperit in Monasterio s. TRUDONIS, eum Monachum *Trudonianum* fuisse existimavit. FLORUS autem ille duplicem ejusmodi Commentarium contexuit, alterum ex AUGUSTINO solo, qui idem esse videtur atque ille, qui in Editt. BEDAE nomen fert, alterum ex Patribus duodecim, CYPRIANO, HILARIO, AMBROSIO, PACIANO, THEOPHILO, GREGORIO *Nazianzeno*, EPHRAIM *Diacono*, LEONE Papa, CYRILLO *Alexandrino*, FULGENTIO, PAULINO et AVITO. Vid. SIRMONDUM *ad Avitum* Oper. Tom. II. pag. 147. Et hanc quidem Collectionem ex MS. majoris *Cartusiae* descripsit P. F. CHIFFLETIUS, qui conferatur *in Paulino Illustrato* et *ad Fulgentium* in Praef. et pag. 322.

(2) LUPUS *Ferrar.* Epist. 76. pag. 118. Eundem Commentarium laudat HINCMARUS *advers. Gotheschalcum* Lib. II. cap. 1. Cf. BALUZIUS *ad Lupum Ferrar.* pag. 405.

(3) MABILL. in *Analect.* Disq. laud. n°. II. WHARTON in Praef. ad Edit. Lond. 1693. Recte monet FABRICIUS l. l. pag. 190, quum in TEUTZELII *Dialogis* legas, MABILLONIUM pollicitum esse, in lucem sè editurum Comment. *geminum* BEDAE in PAULI Epistolas, neminem non videre, *genuinum* legendum esse.

In Actus Apostolorum, libri II.

Legitur haec *Expositio* inter BEDAE Opera Edit. Basil. Tom. V. p. 861-919, Colon. Tom. V. p. 625-666. Creberrima adhortatione suaserat ACCA Episcopus, ut post Apocalypsin explanatam in LUCAM quoque Evangelistam scriberet BEDA. Hic autem operis magnitudine deterritus, ne tamen viri amici auctoritas nihil apud se valuisse videretur, misit hunc *Commentarium in Actus Apostolorum.* In quo praeter alios plurimos fidei Catholicae Scriptores, tum maxime ARATOREM secutus est, ecclesiae *Romanae* Subdiaconum, qui in carmen heroicum libri argumentum coëgerat, allegoriae flores ei passim admiscens. Qualis autem hic Commentarius sit, jam cernitur in fronte, ubi haec legimus: «Actus Apostolorum, ut beatus HIERONYMUS ait, nudam quidem sonare videntur historiam, et nascentis Ecclesiae infantiam texere, sed si noverimus, eorum Scriptorem LUCAM esse medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertimus, pariter omnia verba illius animae languentis esse medicinam.» — Simul cum hoc opere BEDA misit brevem *Commentarium in Epistolam Joannis.*

In Epistolas VII Catholicas, libri singuli.

Commentarius in Epistolam Catholicam JACOBI, Episcopi *Hierosolymitani*, I. et II. PETRI Apostoli, I., II. et III. JOANNIS, et JUDAE, exstat in Oper. Edit. Basil. Tom. V. p. 929-1057, Colon. Tom. V. p. 673-760. In hanc *Epistolarum Expositionem* BEDA Prologum scripsit, qui in Editt. desideratur, sed quem ex antiquo Codice MS. Bibliothecae Collegii *Gonvil et Caji*, quod *Cantabrigiae* est, detexit WHARTONUS et cum CAVEO, ut operi

ejus insereretur, communicavit (1). Quo facto, CAVEUS praemonuit: «Cur lucem haetenus non viderit, dicant alii, quin et ipse. prudens et aequus lector facile devinabit.» Nobis illam Prologi partem, quae huc spectare videtur, describere lubet, quo clarissime apparet, Antistites sacrorum, ecclesiae *Romanae* addictos, de suo principatu tuendo omnibusque, quae opponerentur, amovendis haud parum fuisse sollicitos. Sic igitur incipit:

«JACOBUS, PETRUS, JOANNES, JUDAS, septem Epistolas ediderunt, quas Ecclesiastica consuetudo *Catholicas*, h. e. *Universales* cognominat. In quibus ideo prima Epistola JACOBI ponitur, quia ipse *Jerosolymorum* regundam suscepit ecclesiam. In Catalogo enim Apostolorum priores solent nominari PETRUS et JOANNES. Verum fons et origo Evangelicae praedicationis incipiens (2), per orbem diffusa est universum. Cujus Cathedrae dignitatem etiam PAULUS Apostolus in eo nominando venerans, ait: JACOBUS, CEPHAS et JOANNES, qui videbantur columnae Ecclesiae; vel certe, quia ipse duodecim tribubus *Israëlis*, quae primae crediderunt, suam Epistolam misit, *merito prima poni debuit; merito* PETRI *secunda*, quia ipse electis advenis, qui graece dicuntur *Proselytae*, hoc est, eis scripsit, qui de Gentilitate ad Judaismum, de Judaismo ad electionis Evangelicae gratiam conversi sunt,» cet.

Haec autem *Expositio Epistolarum Catholicarum* laboris BEDAE in Literas Sacras haud infima pars est, et varias continet interpretationes bonas et probabiles (3).

---

(1) CAVE *Hist. Liter.* Sec. VIII. pag. 614.

(2) Deësse notat CAVEUS, *ab Hierosolymis.*

(3) Cf. ROSENMULL. l. cit., qui specimina quaedam ex his Epistolis adfert, Tom. V. pag. 102—107.

Explanationem Epistolae JOANNIS maximam partem ex Homiliis AUGUSTINI se excerpsisse testatur, nonnulla vero ad calcem de suo adjecisse (1). Vexatus autem locus 1. Joan. V, 7, de tribus in coelo testibus, huic Commentario deëst.

In Apocalypsin S. JOHANNIS, *libri III.*

BEDA se hunc Commentarium, reperiundum in Oper. Tom. V. Edit. Basil. p. 1058-1138, Colon. p. 761-816, rogatu EUSEBII composuisse narrat in Praefatione ad Actus Apostolorum, eidemque illum inscripsit. In explicanda autem Apocalypsi sequitur septem regulas TYCHONII Donatistae, quem virum adpellat inter suos eruditissimum et ingeniosum, qui veluti rosa in spinis effloruit aperta. Quas regulas non tantum in JOANNIS Apocalypsi, verum etiam in omni Scriptura Canonica, et praecipue prophetica multum valere opinatur. Satis vere et Catholice de Apocalypsi disseruisse TYCHONIUM putat, iis locis, uti par est, exceptis, in quibus suorum schisma defendere niteretur, et persecutiones, quas sub VALENTINIANO a Catholicis passi erant Donatistae, et martyria vocaret, et a JOANNE praedictas esse gloriaretur. Nonnulla, ut minoris ponderis, ab illo omissa, addidit BEDA. Maximis laudibus hoc opusculum extollit ZEGERUS. «Inter cetera Commentaria, inquit, quorum adjuti fuimus adminiculo, principem apud me obtinuit locum et auctoritatem ipsius BEDAE glossema, quo sane nullum vidimus sincerius, quod minus haberet affectatae curiositatis, quod magis argutum, doctum, solidum, et erudito

(1) In Praef. *ad Act. Apost.* Oper. Tom. V. Edit. Basil. pag. 862, Colon. pag. 626.

homine dignum, denique quod magis, meo certe judicio, ad mentem accederet Apostolicam» (1). In his procul dubio nimius est ZEGERUS, nec crediderim, ejus opinionem hodie a multis probari.

Capitula lectionum in totum N. T., excepto Evangelio.

Haec, qualiacunque fuerint, Capitula lectionum in Novum Test., ut similia, quae in Vetus Test. scripsit, omnes, quos consului, Critici silentio praetereunt. Fieri potest, ut lateant in Bibliothecis: nunquam certe in lucem edita sunt.

SECTIO III.

LIBRI VARII AD HISTORIAM, CHRONOLOGIAM, LITERAS PERTINENTES.

Liber Epistolarum ad diversos: quarum de sex aetatibus seculi, *una est;* de mansionibus filiorum Israël, *una; una de eo, quod ait* ISAÏAS: «Et claudentur ibi in carcerem, et post multos visitabuntur»; de ratione Bissexti, *una;* de Aequinoctio, juxta ANATOLIUM, *una.*

Liber Epistolarum, quamvis eum deperditum esse statuit CAVEUS (2), totus tamen injuriam temporis passus

(1) NICOL. ZEGERI Praef. *Schol. in Apocal.* Vid. etiam, quae in hujus libri laudem habet RICH. SIMON l. c. Chap. 24. pag. 339—346.

(2) *Hist. Lit.* l. l. pag. 616.

non est. Epistolarum, quas supra ab ipso BEDA indicatas esse vidimus, primam quidem et ultimam habemus incolumes. Illam ex antiquis MSS. petiit et edidit WARAEUS, Dublin. 1664; repetita vero est a WHARTONO Londin. 1698 p. 241-251, et inscripta: *Epistola* BEDAE *Presbyteri Apologetica, eo quod insimularetur a quibusdam de aetatibus seculi non recte sensisse.* Eandem autem hanc esse, quam BEDA memoret, et totum probat ejus argumentum, et Codex *Mertonensis*, haec verba, a WARAEO non recepta, ei adjiciens: *Explicit Epistola* BEDAE *Presbyteri, ad* FLEGWINUM, *de sex aetatibus seculi.* Scripserat nimirum quinque annis ante librum illum minorem *de Temporibus*, de quo infra videbimus. Computandi vero ratio, quam ibi sequitur, non omnibus aequaliter placuit; hac certe de causa coram WILFRIDO, Sedis *Eboracensis* Antistite, inter epulandum ab invido quodam haereseos accusatus est. Qua de calumnia BEDA per FLEGWINUM sive PLEGWINAM monachum certior factus, statim huic Literas remittit, in quibus semet ipse culpa liberare studet, malamque miratur calumniatoris fidem, quocum quippe amice et ingenue de sententia sua confabulatus erat. «Verum, inquit, quod ipse, quisquis erat, fraterni amoris officium vertit in odium aemulationis, supernus Moderator illi, justa mercede, lucem ostensae veritatis convertit in tenebras coecae falsitatis.» Suas porro rationes defendere conatur, quippe convenientes Codici *Hebraeo*, non vero LXX interpretibus, ideoque tales, ut Literis Sacris ipsis, per *Christianum* interpretem ex *Hebraeorum* lingua conversis, nitantur, neutiquam *Judaicis* interpretationibus, vel Chronographorum imperitiae, fidem habeant. Tum ipsis verbis,

quibus in libro *de Temporibus*, Cap. XVI, usus erat, citatis, JOSEPHI, ORIGENIS, HIERONYMI, et AUGUSTINI testimoniis et auctoritate suam sententiam confirmat, EUSEBIUM contra, *Hebraeorum* linguae imperitum, erroris redarguit. Denique a PLEGWINO petit, ut has Literas tradat monacho cuidam DAVIDI, in Dioecesi WILFRIDI, ut, lectis illis coram Antistite, accusationis falsitas palam fiat. Ipsum quoque DAVIDEM inprimis rogat, ut contra malevolos suas partes tueatur (1).

Altera Epistola, quae superest, *de Paschae celebratione, sive de Aequinoctio vernali, juxta* ANATOLIUM, ad WICHREDAM Presbyterum scripta, legitur in BEDAE Operum Edit. Basil. Tom. II. p. 343-347, Colon. p. 230-232. Notavimus jam supra exemplum illud in fine hujus Epistolae de anno 776 petitum, quod induxit BARONIUM, ut BEDAM ad centum et quinque annorum aetatem pervenisse contenderet. Haec autem causa fuit, cur USSERIUS totam Epistolam BEDAE abjudicaret. PETAVIUS vero, *in Epistolis* p. 157, MSS. quosdam hunc libellum PHILIPPO Presbytero tribuere monuit. Sine dubio tamen ipsum opus BEDAM auctorem habet, sed exemplum seriori manui deberi, supra

(1) Nescio, quo jure hic ipse DAVIDES, quem BEDA Fratrem religiosum vocat ac doctissimum, a CAVEO injuriae auctor dicatur, l. l. pag. 615. BEDAE verba sunt: «Ipsum quoque DAVIDEM prae ceteris rogo, ut, juxta exemplum sibi cognominis pueri, furorem spiritus nequam a Fratre desipiente, hortatione sanorum verborum, quasi dulci psalmodiae modulatione, sedulus effugare contendat. *Quod utique in coena illa*, in qua me poculo debrius culpare studuit ille, qui semet potius lectioni intentus inculpabilem facere debuerat, *perficere nequibat: utpote sensus et sententiae meae*, quam laudabat, *necdum conscius*. pag. 250, 251.

jam diximus. Et in antiquo Codice Bibliothecae *Laubiensis* illud deësse notavit MABILLONIUS; quemadmodum non exstat etiam in Editione, quam curavit CHIFFLETIUS (1).

De Historiis Sanctorum: librum vitae et passionis S. FELICIS *Confessoris, de metrico* PAULINI *opere in prosam transtuli.*

Vita FELICIS Confessoris, Presbyteri *Nolae*, exstat in Edit. Basil. Tom. III. p. 255-262, Colon. p. 185-190, et a BOLLANDO etiam inserta est *Actis Sanctorum* ad 14 Januar. Tom. I. p. 943, Edit. Antv. 1643. Eandem SMITHIUS, cum nusquam exemplar MS. invenire potuerat, ex his Editionibus accurate collatis repetiit, inter *Opera* BEDAE *Historica*. Cantabr. 1722 (2).

Librum vitae et passionis S. ANASTASII, *male de Graeco translatum, et pejus a quodam imperito emendatum, prout potui, ad sensum correxi.*

In Editt. desideratur, et inter libros deperditos recensetur a CAVEO (3).

Vitam S. Patris, Monachi simul et Antistitis, CUDBERCTI, *et prius heroico metro, et postmodum plano sermone descripsi.*

Vitam CUTHBERTI Episcopi, versibus Hexametris scriptam, quae in Editt. desideratur, primus publici juris fecit CANISIUS *Lection. Antiq.* Tom. V. p. 692, et Edit. nov. Tom. II. init. Melius postea libellum edidit

---

(1) MABILLON. *Elog.* BED. in *Act. Ben.* l. l. n°. 29 et *Anal. Vet.* Tom. I. pag. 9. Edit. novae Paris. pag. 398. CHIFFLET. *Hist. Eccl.* BEDAE Par. 1681. pag. 13.

(2) Vid. Praef., quam GEORGIUS filius, cum patris JOANNIS opus ederet, conscripsit.

(3) *Hist. Lit.* l. l. pag. 616.

MABILLONIUS, sed ad fidem antiquissimorum Codicum eum castigavit SMITH in Editione *Cantabrigiensi*. Loci quidam illius carminis illustrati sunt a BARTHIO, *Advers.* III, 19.

Hujus autem operis mentionem facit ipse BEDA in altera *Vita*, quam postea soluta oratione composuit, ubi in Epistola praemissa, ad EDFRIDUM Episcopum et omnem congregationem Fratrum in *Lindisfarnensi* insula, haec scripsit: «Sciat autem Sanctitas vestra, quia vitam ejusdem Deo dilecti Patris nostri, quam vobis prosa editam dedi, aliquanto quidem brevius, sed eodem tamen ordine, rogantibus quibusdam e nostris Fratribus, heroicis dudum versibus edidi. Quos si vos habere delectat, a nobis exemplar accipere potestis: in cujus operis Praefatione promisi, me alias de vita et miraculis ejus latius esse scripturum; quam videlicet promissionem in praesenti opusculo, prout Deus dederit, adimplere satago.» Legitur igitur haec altera CUTHBERTI *Vita* in Edit. Basil. Tom. III. p. 209-254, Colon. p. 152-185. Editionem porro longe emendatiorem procuravit MABILLONIUS in Seculo II. *Act. Bened.*, optimam vero, quinque Codd. MSS. collatis, SMITHIUS, ubi Vitam soluta oratione scriptam, utpote accuratiorem, alteri praefert. Utraque inserta est *Actis Sanctorum*.

Historia Abbatum Monasterii hujus, in quo supernae pietati deservire gaudeo, BENEDICTI, CEOLFRIDI, *et* HUAETBERCTI, *in libellis duobus.*

Hic liber *de vitis Abbatum Wiremuthensium et Girviensium*, quem etiam memorat GULIELMUS *Malmesburiensis* (1), inter Opera BEDAE edita non reperitur. Pri-

---

(1) De *Act. Regum Angl.* Lib. I. cap. 3.

mus librum juris publici fecit WARAEUS, Dublinii 1664; tum repetiit eum WHARTONUS, Londini 1693. Denique ex tribus potissimum Codicibus eum edidit SMITH in opere laud.

Historia Ecclesiastica nostrae insulae ac gentis, in libris V.

Pervenimus jam ad praeclarum illud, et amplitudine sua et rerum pondere primarium BEDAE opus, gentis suae Historiam Ecclesiasticam continens. Majorem huic libro, quam omnibus ceteris, castigando edendoque operam impenderunt viri docti, ut iterum atque iterum tam separatim quam una cum aliis BEDAE scriptis in lucem prodiret. Et vero tam frequenter hoc opere a vetustissimo tempore Scriptores usi sunt, ut, si liber ipse non amplius exstaret, ex partibus excerptis totus fere restitui posset. Prima eaque antiquissima Editio jam prodiit Argentini anno 1500, simul cum *Scholastica Hist.* PETRI *Trecensis*, alias *Comestoris*, et *Hist. Eccl.* EUSEBII per RUFINUM, atque ab eodem continuata (1). Cum iisdem Historicis repetita est Hagenaviae 1506. Postea seorsum prelo exiit Argentini 1514, Antverpiae 1550, Lovanii 1566, et Coloniae 1601. Prodiit etiam in *Collectione Scriptorum rerum Anglicarum* typis COMMELINI, edita Heidelbergae 1587, cum *Continuatione Historiae* BEDAE ab incerto auctore, quam Editionem, prima tantum pagina mutata, eodem anno suo ipsius nomine Bibliopola *Lugdu-*

(1) Rarissimae hujus Editionis exemplar invenire mihi contigit in Bibliotheca *Collegii Sionensis*, quod *Londini* est. Scatet quidem erroribus typographicis, at tamen lectiones praebet, quae, judice SMITHIO, cum optimis Codicibus conveniunt. Vid. ejus Praef.

nensis venum dedit (1). Inter cetera quoque auctoris Opera lucem vidit Parisiis 1544, ibidem 1554, Basileae 1563, Tom. III. p. 1-208, Coloniae 1612, et iterum 1618, Tom. III. p. 1-151., Sed prae ceteris notandae hic sunt Editiones emendatiores WHELOCI, CHIFFLETII et SMITHII, quae inscriptae sunt:

Historiam ecclesiasticam gentis Anglorum, una cum adnotatione et analectis, e publicis veteris ecclesiae Anglicanae homiliis aliisque MSS. Saxonicis excerptis, nec antea latine editis; ut et Saxonicam Chronologiam, seriem hujus inprimis historicam complectentem, e Bibl. publica Cantab.; accedunt Anglo-Saxonicae leges, et ultimo leges HENRICI I., *edidit* A. WHELOCUS. Cantabr. 1644.

BEDAE *Presbyteri et* FREDEGARII *Scholastica Concordia ad senioris* DAGOBERTI *definiendam monarchiae periodum, atque ad primae totius Regum Francorum stirpis Chronologiam stabiliendam, in duas partes divisa., quarum prior continet Historiam Ecclesiasticam Gentis Anglorum, cum notis et Dissertatione de auctore hujus Historiae., posterior Dissertatio de annis* DAGOBERTI *Francorum Regis, eo nomine primi. Auctore* P. F. CHIFFLETIO, *Soc.* JESU *Presbyt.* Parisiis 1681 (2).

---

(1) Vid. OUDINI *Comment.* l. l. Hujus Editionis titulus est: *Rerum Britannicarum, i. e. Angliae, Scotiae et vicinarum insularum Scriptores vetustissimi,* GALFREDI *Monumetensis,* PONTICI *Virumnii,* GILDAE *Sapientis,* BEDAE *Anglo-Saxonis, Continuatio ejusdem Historiae, auctore incerto, Lib. III,* GULIELM. *Neubricensis,* JOAN. FROSSARDI. Heidelb. 1587.

(2) Mirum videri possit, quod in omnibus majoribus, quas adire potui, *Angliae* Bibliothecis haec Historiae BEDAE Editio desideratur, *Oxoniensi, Cantabrigiensi, Londinensibus, Museo Britannico, Collegio Sionensi,* et ea, cui nomen est *Institutio*

BEDAE *Venerabilis Hist. Eccl. Gentis Anglorum, una cum reliquis ejus Operibus Historicis in unum volumen collectis, cura* JOHANNIS SMITH *S. T. P. et Eccl. Dunelmensis non ita pridem Canonici.* Cantabrigiae 1722. Hoc opus post mortem demum patris absolvit et edidit GEORGIUS filius.

Reliquis autem Historiae BEDAE editoribus laudis palmam praeripuit SMITH, tam propter adhibitam in eo edendo diligentiam, quam ob egregios, quibus uti ei licebat, fontes. Inter quos principem locum obtinet Codex MS. omnium vetustissimus, qui antea erat in possessione JOAN. MORI, Episcopi *Eliensis*, hodieque in Bibl. Regia *Cantabrigiensi* servatur. Est hic Codex antiquis literis *Anglo-Saxonicis* circa annum 737, ideoque post BEDAE mortem secundum descriptus, ex ipsius auctoris Autographo, et in ipso monasterio, ubi Historiam suam composuerat (1).

Nuperrime etiam Societas, *Londini* recens constituta, cui nomen est: *The English Historical Society*, novam Editionem procuravit, quae inscribitur: *Venerabilis* BEDAE *Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum. Ad fidem Codicum MSS. recensuit* J. STEVENSON. Lond. 1838 (2).

Londinensis. Ejus autem exemplar pro sua humanitate mihi ad usum dedit Clarissimus Bibl. Regiae *Parisianae* Praefectus. De hac Editione conferatur *Journal des Savants* 1681. pag. 316, et *Acta Erudit.* 1682. pag. 330.

(1) Vid. SMITH in Praef. et conf. de ejus Editione *Act. Erudit.* 1724. pag. 124. *Mémoir. litér. de la grande Bretagne* Tom. X. pag. 520.

(2) Vid. de hac Editione judicium in *The British and Foreign Quarterly Review.* N°. XIII, July 1838. « Mr. STEVENSON has prefixed to his BEDA a critical introduction, full of valuable notices respecting his aûthor, and the sources of the *Historia Ecclesiastica* itself. »

Pauca hic addenda sunt de variis, quae exstant, hujus operis BEDAE interpretationibus seu versionibus. Prima eaque vetustissima est *Anglo-Saxonica*, quae Regi ALFREDO MAGNO tribuitur, et typis expressa est a WHELOCO et SMITHIO in Editionibus supra laudatis. Recentiori aetate librum ex Latino in *Anglicum* sermonem vertendo reddidit STAPLETON, hac inscriptione: *The history of the Church of Englande, compiled by Venerable Bede, Englishman, translated out of Latin into English by Thomas Stapleton, Student in Divinity.* Antw. by John Laet, 1565. Quo autem consilio auctor hunc laborem, satis sibi molestum, aggressus sit, ipse in Praefatione indicat, se id agere velle scribens, ut aequales sui novam, quam amplecti coeperant, religionis formam relinquentes ad pristinam, quae BEDAE tempore viguisset, fidem redirent (1). Iterum in sermonem *Anglicum* translatus

(1) In Praefatione, ad ELIZABETHAM Reginam scripta, inter alia hujus generis leguntur: «In this History Your Highnes shall see in how many and weighty pointes the pretended reformers of the Church in Your Graces dominions have departed from the patern of that sounde and catholike faith planted first among Englishemen by holy S. AUGUSTIN our Apostle, and his virtuous company, described truly and sincerely by *Venerable* BEDE, so called in all Christendom for his passing vertues and rare learning, the Author of this History. And to thentent Your Highnes intention bent to weightier considerations and affaires may spende no longe time in espying oute the particulars, I have gathered out of the whole History a number of diversities betwene the pretended religion of Protestants, and the primitive faith of the English Church.» cet. Cui quidem promisso ita satisfecit, ut praecipua superstitionis portenta ac monstra, quae Ecclesia *Anglica* a *Romana* receperat, postea vero repudiaverant omnes meliora sentientes, brevi in conspectu ante legentium oculos poneret. BEDAE vero iniquius serviri non poterat, quam pessima quaeque ex ipsius operibus colligendo.

liber est a JOAN. STEVENS, anno 1723. Tertiam denique interpretationem composuit GUL. HURST, Lond. 1814, eodem fere, ac STAPLETONIUS, consilio (1).

Opus dedicatum est CEOLULPHO Regi, et ex Epistola, ad illum scripta, quam Historiae suae BEDA praemisit, intelligitur, quibusnam potissimum auctoribus et fontibus usus sit. Auctor ante omnes atque adjutor ei exstitit ALBINUS Abbas, ipsius THEODORI Archiepiscopi et ADRIANI Abbatis discipulus. Quorum res gestas in ecclesia *Cantuariorum* et finitimis regionibus ALBINUS cum BEDA communicavit, misso ad eum NOTHELMO, ecclesiae *Londinensis* Presbytero. NOTHELMUS postea *Romam* profectus Literas quasdam GREGORII aliorumque Pontificum, quas in Bibliotheca *Vaticana* invenerat, domum reversus BEDAE operi suo inserendas tradidit. Primam igitur Historiae suae partem, quae complectitur tempora ante receptam in *Anglia* religionem Christianam, ex antiquioribus praecipue Scriptoribus congessit, posteriorem vero ex traditione et aequalium, qui Ecclesiae praefecti erant, narrationibus et testimoniis contexuit. Laborem anno 731 absolutum, deinde vero ad calcem operis Epitomen quandam chronologicam adjectam, nec tamen ab ipso BEDA ultra annum 734 productam, sed recentiori manu ad annum usque 766 continuatam esse, supra jam diximus, et ex optimis

(1) Vid. Praef. «This interesting and edifying History of the conversion of our own country to Christianity lies concealed from the knowledge of most people, who, therefore, are ignorant of the true nature of that religion, which our ancestors professed, and imagine that it was the same, in every respect, as that which has been introduced during the last centuries.»

Codd. MSS., a MABILL. et SMITHIO collatis, certissime constat (1).

Martyrologium de natalitiis sanctorum Martyrum diebus; in quo omnes, quos invenire potui, non solum quo die, verum etiam quo genere certaminis, vel sub quo judice mundum vicerint, diligenter adnotare studui.

Plus una hujus nominis scriptio BEDAE circumfertur. Martyrologium illud versibus Hexametris compositum, quod legitur in Operum Edit. Basil. Tom. I. p. 242-266, Colon. p. 191-213, in fine libelli, cui nomen *Ephemeris seu Computus vulgaris*, BEDAE omnino non est, sed tribuendum WANDELBERTO *Prumiensi* (2). Aliud Martyrologium, itidem ligata oratione, editum est a DACHERIO et inscribitur: *Martyrologium, quod* BEDA *heroico carmine composuit* (3). Excusum est breve illud carmen ad Codicem seculi IX medii, et a MABILLONIO, qui primus eum descripserat, genuinum BEDAE opus habetur (4). Sed dubitat OUDINUS, utrum vere a BEDA profectum sit, an potius a studioso quodam, qui Martyrologium, quod soluta oratione ab eo scriptum haberetur, metro adligaverit (5).

Aliud porro Martyrologium inter BEDAE Opera legitur, Edit. Basil. Tom. III. p. 380-487, Colon. p. 277-362. Prodiit etiam seorsum Antverpiae A. 1565, sed jam dudum inter

---

(1) Cf. quae de his jam supra disputavimus ad pag. 9, 10.

(2) Vid. de eo OUDIN. *Comm.* Tom. I. pag. 1683, qui, qua fronte et impudentia hic liber BEDAE adscriptus sit, pluribus ostendit, et CAVEUM, quum haec silentio praetereat, BEDAE opera nunquam legisse ait.

(3) DACHERII *Spicileg.* Tom. X. pag. 126. Edit. nov. Tom. II. pag. 23. ubi plura de eo.

(4) MABILLON. *Acta Bened.* Sec. III. Parte I. pag. 560, et Sec. IV. Parte II. pag. 85. in Praef.

(5) OUDIN. loc. cit. Tom. I. pag. 1692.

omnes constabat, falso illud BEDAE tribui, quippe qui secundum narrationes USUARDI et ADONIS (1) centum octoginta dies vacuos reliquisset. Genuinum BEDAE opus invenisse sibi visus est HENSCHENIUS, et ejus quidem fragmentum MS. in Biblioth. Regia *Sueciae*, integrum vero exemplar *Divione*, additamenta continens minoribus literis scripta (2). Cum his autem Codd. sex alios contulit, et collecta sua publici juris fecit in *Actis Sanctorum* (3); ubi ea, quae BEDAE nomine majori typorum forma excusa sunt, in omnibus MSS. ad verbum legi dicit; Martyrologium vero, quod inter BEDAE Opera exstat, ex ADONE sumtum esse credit. Idem illud cum *Auctuario* FLORI in sua Editione *Cantabrigiensi* repetiit SMITH. Et additamentum ad BEDAE Martyrologium ex Codice *Wirceburgensi* seculi IX dedit ECKARTHUS (4). Ex MABILLONII et OUDINI sententia dubium tamen est, an *Festo Omnium Sanctorum* in hoc Martyrologio

---

(1) Vid. USUARD. et ADONEM, Archiepisc. *Viennensem*, in *Martyrologiis*. CAROLUS MAGNUS, quum Martyrologia et HIERONYMI et BEDAE, quae in ecclesiis recitare mos erat, sibi breviora viderentur atque jejuna, USUARDUM monachum illa amplificare jussit. Hic opere suo perfunctus in Praefatione ad Regem dicit, HIERONYMUM nimiae studuisse brevitati, BEDAM vero quamplures Kalendarum dies intactos reliquisse.

(2) Primum haec FLORI esse suspicatus est, postea mentem mutavit.

(3) Praef. Tom. I. Januar. pag. 40. et Prolog. ad mensem Mart. Tom. II. § 5 seqq. Genuinum BEDAE opus hoc habuit OUDINUS in *Comment.* Vol. I. pag. 57 et pag. 1683. Notant etiam, post COLOMESIUM, MABILLONIUS l. l. et FABRICIUS Tom. I. pag. 189, Edit. MANSI, reperiri in illo, quae BEDAE tribuantur ab HERRICO in *Miraculis* S. GERMANI, *Episc. Autissiod.* Lib. I. cap. 15, et ab AMALARIO in Lib. II. cap. 24. *de Officiis Eccles.*, et *de ordine Antiphonarii* cap. 28.

(4) In *Comment. de rebus Franciae Orient. et Episcop. Wirceburgens.* Tom I. pag. 829, 830. Wirceb. 1729.

locus suus sit, cum BEDA quatuor tantum annos vixerit post creationem GREGORII III., qui hujus Festi auctor est (1).

Liber Hymnorum, diverso metro, sive rhythmo.

Hymni, qui reperiuntur inter BEDAE Opera, Edit. Basil. Tom. I. p. 476-494, Colon. p. 401-417, ad eum pertinere non videntur: hic saltem liber ille Hymnorum non est, quem ipse memorat in Indice (2). Plurimos BEDAE Hymnos edidit CASSANDER cum scholiis, Parisiis 1556, et inter ejusdem Opera ibid. 1616, p. 195, 206, 239, 244, 254, 263, 266, 274, 280, 281, 293. Praeterea BEDAE etiam in Cod. MS. olim *Thuaneo*, nunc *Colbertino*, adscribitur carmen *de Divino Judicio* ad ACCAM Episcopum, quod editum est a SIMEONE *Dunelmensi* in libro *de Gestis Regum Anglorum* (3). Et BEDAE *Vener. Ecloga conflictus veris et hiemis, sive cuculus* prodiit inter *Poetas Latin. minores*, a WERNSDORFIO editos (4).

Liber Epigrammatum, heroico metro, sive elegiaco.

Hujus libri nusquam vestigia reperi, et inter deperditos ponitur a CAVEO.

De Natura Rerum, et de Temporibus, libri singuli.

Exstat ille *de Natura Rerum* liber inter Opera, Edit. Basil. Tom. II. p. 1-49, Colon. p. 1-42, cum glossis

---

(1) MABILL. *Act. Ord. Bened.* Sec. III. Part. I. pag. 560. OUDIN. *Comment.* Tom. I. pag. 1692.

(2) Cf. OUDIN. l. l. pag. 1685.

(3) Vid. SIMEON. *Dunelm.* apud *Hist. Anglic. Script. X.* Conf. MABILL. *Act. Bened.* l. l. pag. 560. n°. 34.

(4) Tom. II. pag. 239—244. Vid. ibid. pag. 64—69. Legitur etiam in MELCH. GOLDASTI Editione OVIDII *Erotic.* Francof. 1610. pag. 190, et in BURMANNI *Anthol. Lat.* Lib. V. carm. 70. — Ceterum conf. VOSSIUS *de Poet. Lat.* cap. V. pag. 68. SCHWEIGER *Handb. der classischen Bibliographie*, Leipz. 1832. Tom. II. p. 27.

et scholiis incerti auctoris, JOANNIS itidem *Noviomagi*, et BRIDEFERTI *Ramesiensis*. Editus etiam est cum altero eoque majore *de Temporibus*, Basileae 1529.

Liber *de Temporibus*, cum eorumdem Scriptorum glossis et scholiis, legitur in Edit. Basil. Tom. II. p. 205-212, Colon. p. 118-124. Longe ante majorem *de Temporibus* librum scriptus est, quum desinat quinto TIBERII III. Imperatoris anno, qui CHRISTI est 701 vel 702, alter vero liber annos fere viginti quinque ulterius progrediatur. COLOMESIUS, in *Paralipom. de S. E.* p. 220, fragmentum dedit ex MUNSTERII *Cosmographia* Lib. II, et hunc librum contra STEPHANUM VITUM jure meritoque BEDAE vindicat PETAVIUS in *Epistolis* p. 157.

De Temporibus, liber unus major.

Major hic *de Temporibus* liber, quamvis Editiones eum priori in loco ponant, post alterum tamen eumque minorem scriptus est eique supplemento exstitit. Cum glossis et scholiis JOANNIS *Noviomagi* et BRIDEFERTI *Ramesiensis* reperitur inter Opera, Edit. Basil. Tom. II. p. 49-173, Colon. p. 43-103. Qui porro sequitur, tractatus *de sex aetatibus Mundi, sive Chronicon*, in Edit. Basil. p. 174-193, Colon. p. 103-117, ad hunc ipsum librum pertinet, ejusque pars est. Hoc nempe *Chronicon* nihil aliud est, quam caput sexagesimum quartum et quintum libri majoris *de Temporibus*, sed ponderis sui causa ab uno alteroque dignum habitum est, quod seorsum ederetur (1). Chronicon igitur illud, quod est a rerum origine usque ad nonum annum LEONIS *Isauri*,

---

(1) Conf. SMITH in Praef. et *Chronicon* pag. 1, et OUDIN. *Comm.* Tom. I. pag. 1686.

i. e. A.M. 4680, A. C. 726, jam prodiit Venetiis 1505, cum P. VICTORIS *de Regionibus Urbis Romae aureo libello* (1), Parisiis itidem 1507, et Basileae cum libro *de Natura Rerum* 1529 (2). Continuavit illud et scholiis illustravit JOAN. BRONCHORSTIUS, Colon. 1537. Porro inter cetera auctoris Opera prodiit Basileae 1563, annexa, p. 194-204 Tom. II, Appendice ex diversis Scriptoribus composita, quae tamen in Edit. Colon. 1612 et 1688 omissa est. Solum Chronicon, ex Codd. quatuor MSS. emendatum, suae etiam Editioni inseruit SMITH. Totum *de Temporibus* librum, cum Codice *Wirceburgensi* collatum, dedit ECKARTHUS (3).

(1) In brevi BEDAE Vita, huic Editioni inserta, dicitur ejus corpus postmodum ad *Genuensem* maritimam urbem delatum, et in divi BENEGARII Basilica conditum esse. Vid. quae hac de re disputavimus pag. 2 seqq.

(2) In hac Editione, cujus satis nitidum exstat exemplar in *Museo Britannico* notandus est error, quo liber major *de Temporibus* adpellatur *Liber de Natura Rerum.* Etiam post Praefationem, tanquam caput primum, inseritur libellus ille *De Computo vel loquela per gestum digitorum*, qui legitur in Edit. Basil. Tom. I. pag. 165—181, Colon. pag. 127—143. Hanc autem scriptionem, qua veterum ratio computandi per digitorum gestus et flexionem exponitur, ut et librum *de Ratione Unciarum*, BEDAM auctorem habere putat OUDINUS, et quasi praeludium esse majoris operis *de Temporibus.* Vid. l. l. pag. 1682. Argumentum tamen ex eo petitum, quod in initio auctor loquitur de opusculis suis *de Natura Rerum* et *de Temporum ratione* non multum valere puto; haec enim verba ex ipsa Praefatione libri majoris *de Temporibus* desumta esse videntur. Supposititium illum esse existimavit PETAVIUS pag. 159, sed aliud visum est JOANNI *Aventino.* Cf. FABRIC. l. cit. Ed. MANSI pag. 148, et *Bibl. Lat.* Edit. Venet. Tom. II. pag. 447. Uterque tractatus insertus est *Corpori Auctorum Linguae Latinae cum notis* DION. GOTHOFREDI. Lugduni 1658.

(3) In *Comm.* supra laud. Tom. I. pag. 825. *Chronicon* BEDAE et contractum et ad annum 820 continuatum ex MS. Cod. edidit ANDREAS DU CHESNE *Script. Franc.* Tom. III. pag. 125—129.

Liber de Orthographia, alphabethi ordine distinctus.

Librum *de Orthographia*, qui legitur in Edit. Basil. Tom. I. p. 73-98, Colon. p. 53-72, inter *Grammaticae Latinae auctores antiquos* edidit quoque ELIAS PUTSCHIUS, Hanov. 1605, p. 2775-2803. Hic vero incerto cuidam auctori illum adtribuit, et alium ejusdem nominis atque argumenti, ab altero tamen diversum, quem genuinum BEDAE opus esse censet, ex MS. BONGARSI descripsit p. 2327-2350.

Liber de Metrica arte; et huic adjectus alius de Schematibus, sive Tropis libellus, h. e. de figuris modisque locutionum, quibus Scriptura Sancta contexta est.

Exstat libellus *de Metrica arte* inter Oper. Edit. Basil. Tom. I. p. 34-58, Colon. p. 25-42. Prodiit etiam inter PUTSCHII Veteres Grammaticos op. l. p. 2350-2383, et pars ejus praefigitur *Hymnis* a CASSANDRO editis, et inter ejusdem Opera, Parisiis 1616.

Libellus *de Schematibus* et *de Tropis* exstat inter Oper. Edit. Basil. Tom. I. p. 59-73, Colon. p. 42-53, item inter *Rhetores* FRANCISC. PITHOEI p. 342-355. Seorsum etiam prodiit Venetiis 1522, deinde cum exemplis ex AUGUSTINO et CHRYSOSTOMO, collectis per BARTHOLOMAEUM *Westheimerum*, Basileae 1536; denique Parisiis 1599. «In hoc libro, ait SIXTUS *Sinensis* (1), adversus *Graecos*, qui gloriantur se troporum fuisse repertores, ostendit, nihil hujusmodi troporum, schematum ac figurarum in scriptis *Graecorum* inveniri, quod non longe antea in S. Literis fuerit usitatum.»

(1) Op. cit. Lib. IV. pag. 219. C.

Ad Indicem, a BEDA confectum, recensuimus nunc libros cum genuinos, tum spurios, qui nomen ejus gerunt. Restat, ut nonnulla moneamus de quibusdam aliis, ibi quidem non memoratis, sed procul dubio tamen a BEDA profectis. Principem locum habeant:

Retractationes in Actus Apostolorum.

Has scripsit jam senex paulo post annum 731. Adsunt in BEDAE Operibus, Edit. Basil. Tom. VI. p. 1-39, Colon. Tom. VI. p. 1-28. In quo libro condendo secutus est exemplum AUGUSTINI, qui, senex, libros *Retractationum* in opuscula quaedam, quae juvenis scripserat, emendandi addendique causa composuerat (1). Multa insuper critici et grammatici generis adjecit, quod pro tempore, quo vixit, magnopere laudandum est. Nimirum in manus ei forte inciderat Codex *Graecus* Actuum Apostolorum pervetustus, et a recepta interpretatione passim discrepans, quo cum textu vulgari *Latino* accurate collato variantes lectiones adnotavit, hac tamen cautione addita: «Quae in *Graeco* sive aliter, seu plus aut minus posita vidimus, breviter

(1) Quomodo suos aliorumque errores correxerit, intelligimus, e. g. ex adnotatione ad Act. I, 13 et VIII, 1. Et hîc quidem mendacii redarguit Scriptorem, qui in libro *de obitu beatae Genetricis Dei*, nomine MELITONIS, Episcopi *Asiae*, inscripto, insulsas quasdam fabulas retulit. «Haec ideo commemorare curavi, inquit, quia nonnullos novi praefato volumini contra auctoritatem beati LUCAE incauta temeritate adsensum praebere.» pag. 16. «Si les Moines, scribit SIMONIUS, qui sont auteurs de la plupart des Histoires, principalement de l'Occident, avaient été animés de cet esprit, nous n'aurions pas aujourd'hui tant de fables dans nos livres.» L. cit. Tom. III. Chap. 24. pag. 342.

commemorare curavimus. Quae utrum negligentia interpretis omissa, vel aliter dicta, an incuria librariorum sint depravata, sive relicta, nondum scire potuimus. Namque *Graecum* exemplar fuisse falsatum, suspicari non audeo; unde lectores admoneo, ut haec, ubicunque fecerimus, gratia eruditionis legat, non in suo tamen volumine velut emendata interserat, nisi forte ea in *Latino* Codice suae Editionis antiquitus sic interpretata repererit.» Varias has lectiones, a BEDA notatas, collegit MILLIUS, in Prologo ad N. T., satis constare autumans, Codicem BEDAE aut illum ipsum esse, qui hodienum in Bibliotheca *Bodleiana Oxonii* servetur, aut ejus plane gemellum. «Unum saltem, inquit, exstat monumentum, unde de textu *Graeco*, qualis tum incedebat, quidquam dignosci possit; e Scriptoribus enim, qui eo tempore florebant, haud reperias praeter unum alterumve, cui verbulum exciderit de Canone, aut textu originali N. T.» (1). Unanimes igitur sunt Scriptores in hoc BEDAE opere laudando, quippe quo haud vulgarem pro iis temporibus linguae *Latinae*, *Graecae* et *Hebraeae* peritiam ostenderit. Exemplis quibusdam docuerunt SIMONIUS et ROSENMULLERUS, quid hoc in genere praestiterit (2).

Epistola BEDAE *ad* ALBINUM.

Notasse hic sufficit, Epistolam ad ALBINUM, quam jam citavimus, editam esse a MABILLONIO in *Analectis*

(1) JOAN. MILLII *Dissert. de libris N. T., Canonis Constitutione et S. textus historia*, praemissa Edit. N. T. Graec. Lips. 1723. pag. 99. n°. 1022—1027. Cf. RICH. SIMON *Dissert. Critique sur les MSS. du N. T.* pag. 59, 60.

(2) SIMON *Hist. Critique des princip. Comment.* l. c. pag. 340—344. ROSENMULLER. l. c. Tom. V. pag. 96—102.

Tom. I. p. 9, Edit. novae p. 398 (1). ALBINUS, Monasterii *Cantuariensis* Abbas, bene distinguendus est ab ALBINO FLACCO sive ALCUINO, qui seculo sequenti vixit. Auctor BEDAE et adjutor fuerat scribendae *Anglorum* Historiae, ut supra ex Praefatione adtulimus. Hac autem in Epistola gratias agit BEDA pro missis sibi jam secunda vice per NOTHELMUM, Presbyterum *Londinensem*, monumentis et fontibus, quo melius opus suum conscriberet. Simul ALBINO, grati animi significandi causa, ipsam Historiam mittit transcribendam, aliamque etiam scriptionem *de Templo* SALOMONIS, de qua supra jam diximus. Non multo igitur post annum 731 hanc Epistolam scriptam esse puto.

Epistola BEDAE *ad* EGBERTUM *Antistitem*, *de* CHRISTI *Praesulis officio*.

Primum edita est a WARAEO Dubl. 1664, repetita a WHARTONO Lond. 1693. Mendis, quae supererant, sua in Editione *Cantabrigiensi* ad fidem Cod. MS. *Mertonensis* eam purgavit SMITHIUS. Fuit autem EGBERTUS ille, ad quem Epistola data est, Archiepiscopus *Eboracensis*, non, ut putat BALEUS, *Lindisfarnensis* (2), quippe qui tredecim, et quod excurrit, annis ante scriptas has Literas e vita discessit. Satis autem certo ex ipsa Epistola constat, eam scriptam esse exeunte anno 734, aut 735 ineunte, id est, brevi tempore ante BEDAE obitum. Nimirum triginta circiter anni ibi exacti esse dicuntur post mortem ALFREDI Regis; hunc vero anno

(1) Seorsum etiam eam edidit MABILL. cum adnotat. 8vo. Parisiis.

(2) Vid. WARAEUM l. c. p. 252 in nota, et conf. LELAND. *de Script. Brit.* p. 97.

705 diem obiisse, ex ipsius BEDAE Historia novimus (1). Conscripsit has Literas BEDA, quod EGBERTUS optatum sibi esse significaverat, ut ille, qui praecedenti anno aliquot dies cum amico degisset, nunc quoque legendi gratia aliquamdiu secum demoraretur. Cui desiderio quominus satisfaceret, impedivit valetudo ejus; misit tamen Literas. Quae quum nonnulla ad historiam pertinentia memoriae tradant, et satis accuratam illius temporis descriptionem et quasi imaginem praebeant, nemo dubitabit, quin lectu dignissimae sint.

Initium scribendi sumit auctor ab exhortatione EGBERTI, ut tam bene vivendo, quam recte docendo, gradu, ad quem adscendisset, dignum se redderet. Ante omnia igitur vult, ut otiosis, quas dicit, abstineat confabulationibus et linguae indomitae contagiis, contra et linguam et mentem S. Scripturae et GREGORII Operum lectione excolere studeat. Fama enim erat de quibusdam Episcopis, ut non, qui religiosiores et continentiores essent, secum haberent, verum potius, qui risui et jocis et comessationi addicti, quotidie magis ventrem dapibus, quam mentem sacrificiis coelestibus pascerent. Eos igitur socios sibi eligeret, qui et actione et exhortatione populo prodesse possent, et idoneos sacri muneris adjutores se praestarent. Cum autem loca, quae ad ipsius regionem pertinebant, latiora essent, quàm ut solus omnia posset lustrare, Presbyteros plures crearet, doctores constitueret, qui populum docerent, sacra

(1) Lib. V. cap. 19. Idem in *Epitome*. — Fuit autem ALFREDUS ille, de quo hîc agitur, Rex *Northumbriae*, qui anno 685 EGFRIDO fratri successit. Vid. *Hist. Eccl.* Lib. IV. cap. 26.

mysteria consecrarent, baptisma peragerent. Inprimis *Symbolum Apostolorum* et *Orationem Domini* memoriae infigerent oportere scribit, non solum, qui Latinam linguam didicissent, verum etiam, qui ejus ignari essent, ut alteri illa Latine, alteri vernaculo sermone recitarent. Neque hoc de Laïcis modo, sed de clericis etiam et monachis, qui Latine nescirent, dictum vult. Quapropter ipse, in usum multorum Sacerdotum, et Symbolum Apostolorum et Orationem Domini in linguam *Anglorum* se reddidisse testatur.

Conqueritur porro se audivisse, multas villas et viculos in montibus inaccessis et saltibus dumosis inveniri, ubi nunquam, multis transeuntibus annis, visus sit Antistes; quorum tamen ne unus quidem a tributis, Antistiti reddendis, immunis esse posset. Cujus rei solam causam esse dicit avaritiam, quandoquidem Episcopi, pecuniae amore capti, majorem populi partem, quam curare possent, in suam ditionem adsumerent. Admonet igitur EGBERTUM, ut plures ministerii sui socios consecraret, consilium secutus GREGORII Papae, qui Literis, ad AUGUSTINUM datis, duodecim Episcopos constituendos esse significasset, inter quos Antistes *Eboracensis*, accepto pallio, metropolitanus esset (1).

---

(1) Leguntur ipsae GREGORII ad AUGUSTINUM Literae in BED. *Hist. Eccl.* Lib. I. c. 29. Suadebat Papa, ut AUGUSTINUS *Eboraci* Episcopum constitueret, quem vellet, ita tamen, ut hic rursus duodecim alios crearet, atque ipse metropolitanus esset, nactus, aeque atque Episcopus *Londinensis*, pallium a Sede *Romana*. Voluit, ut omnes *Britanniae* Episcopi AUGUSTINO essent subjecti; post illius vero obitum, inter *Londinensem* Episcopum et *Eboracensem* ea esset honoris distinctio, ut prior haberetur, qui prius fuisset electus. Narrat autem GULIELMUS

In quo proposito non dubitabat, quin CEOLWULPHUM Regem, cujus propinquus esset, promptissimum simul et strenuissimum habiturus esset adjutorem (1). Quoniam autem per Regum praecedentium incuriam et donationes stultissimas factum esset, ut non facile locus vacaret, ubi Sedes Episcopalis nova fieri posset, commodum duxit, ut, habito majori concilio et consensu Pontificali simul et Regali, locus aliquis monasteriorum

---

Malmesb. Lib. I. *de Gest. Reg. Angl.* p. 24, PAULINUM, primum ecclesiae *Eboracensis* Antistitem, insigne illud pallii ab HONORIO Papa accepisse, sed Sede pulsum et *Rovecestrae* diem obeuntem, ibidem reliquisse. Hinc factum esse, ut plures post eum solo *Episcoporum* nomine essent contenti. « At vero, inquit, EGBERTUS animosioris ingenii homo, cogitans, ut superbum est, si adpetas indebita, ita ignavum esse, si debita negligas, multa Sedis Apostolicae adpellatione pallium reparavit. » — Quid igitur? BEDAEne consilium secutus est EGBERTUS, an ipse hujus consilii auctor fuit, illud quidem, quod maxime in votis erat, amici auctoritate probari, populoque commendari volens? Hoc quam illud potius crediderim. Ut ut est, ex Continuatione BEDAE *Epitomes* constat, EGBERTUM, qui anno 732 ad Episcopatum *Eboracensem* erat evectus, non longo post, anno nempe 735, primum post PAULINUM in Archiepiscopatum confirmatum esse, constitutis FRUIDBERTO et FRUIDWALDO Episcopis. Vid. et *Chron. Sax.* et SIM. *Dunelm.*, *de Archiep. Ebor. Epist.* col. 78. TH. STUBBS *Act. Pont. Ebor.* col. 1697.

(1) CEOLWULPHUS ille regnare coepit anno 729, « cujus regni, ut est apud BEDAM *Hist.* Lib. V. c. 24, et principia et processus tot ac tantis redundaverunt rerum adversantium motibus, ut, quid de his scribi debeat, quemve habitura sint finem singula, necdum sciri valeat. » — Octo igitur annis post regiam dignitatem abdicavit, vitamque monasticam amplexus est, regnum EADBERTO relinquens. Vid. Continuat. *Epitomes.* Successorem autem ejus GULIEL. *Malmesb.*, *Gest. Reg. Angl.* Lib. I. p. 24, vocat EGBERTUM, patrui ipsius filium, qui ejusdem nominis habuit fratrem, Archiepiscopum *Eboraci.* Unde apparet, CEOLWULPHUM Regem et EGBERTUM fratres fuisse patrueles.

huic consilio adhiberetur. Cui decreto ne forte Abbas aut monachi resisterent, libertas iis daretur, ut de suis ipsi Episcopum eligerent, qui et adjacentium locorum, quotquot ad eandem Dioecesin pertinerent, et ipsius monasterii curam gereret. Quod si opus esset, ut terrae, quas possiderent, aliis adaugerentur, innumera loca esse putat, quae, in monasteriorum numerum perperam adscripta, Synodica auctoritate in hunc usum melius possent converti.

Data jam sibi occasione, multa queritur de corruptione et abusu monasteriorum. Neque Deo neque hominibus multa eorum utilia esse dicit, quippe quae austeriorem monachorum vivendi rationem omnino negligerent, nec usui seculari inservirent. Unde tanta, ut ait, exstiterat terrae inopia, ut filii nobilium aut milites emeriti nulla possessione possent donari, sed vacantes et sine conjugio patriam relinquerent, vel, quod pejus esset, ignaviae libidinique indulgerent. Sed gravius etiam a quibusdam hac in re peccabatur, qui, quum studio non magis quam usu ad clerum vel ad monachos pertinerent, construendis tamen, ut prae se ferebant, monasteriis terras sibi comparabant, quin etiam Regum, Pontificum et Abbatum edictis tam sibi quam heredibus eas confirmandas curabant. Ista in loca, quae falso nomine Monasteria dicebant, excipiebant omnes, veris monasteriis expulsos, et quoscunque, promissa obedientia, ad suscipiendam tonsuram inducere possent. Malae huic consuetudini aut Pontifices aut Synodum sua auctoritate facillime finem imponere posse, BEDA opinatur, nisi illi ipsi, eadem auri cupidine dictante, adsentiri et opem ferre reperirentur. EGBERTUM igitur

strenue admonet, ut, qua erat apud regem gratia, huic malo prospiceret, neque apud se inveniri pateretur, de quibus merito dici posset: «Vidi impios sepultos, qui cum adviverent, in loco sancto erant.» Multum denique amico dat consilii, quo munere sibi commisso bene et fideliter fungatur.

Libellus de situ urbis Hierusalem, sive de locis sanctis.

Superest, ut de hoc libello, longe *ante* Indicem scripto, quaedam notemus. Cum ceteris BEDAE Operibus in Editt. Basil. et Colon. Tom. III. editum, cumque duobus Codd. MSS. antiquis collatum, suae etiam Editioni eum inseruit SMITH. Neque possumus non adsentiri iis, qui hujus scriptionis, quamvis varia continet minus probanda (1), BEDAM verum auctorem esse opinantur. In fine certe ARCULPHUS quidam, *Galliarum* Episcopus, quum loca sancta visitandi gratia patriam reliquerat, *Hierosolymis* aliquot menses demoratus, *Alexandriam*, *Damascum*, *Constantinopolin* et *Siciliam* percurrisse, ventisque contrariis in *Britanniae* litora redux advectus esse dicitur. Jam hic ea, quae viderat et exploraverat, communicavisse narratur cum ADAMNANO Presbytero, qui ex ejus dictatis tres libros componeret; atque hinc li-

(1) Ita de ea judicat doctiss. CAMPBELL in *Biogr. Brit.* «This is confessedly taken out of a book written on the same subject by Adamnanus, and is full of superstition and fables, so as to have furnished such as have censured our author with most of their quotations, to discredit his writings; how equitably, the candid and judicious reader may judge.» Et vero, commenta, quibus in hoc libello offendimur, non ipsius BEDAE sunt: narrat tantummodo, quae virorum magnae auctoritatis testimoniis relata et comprobata legerat.

bellus, de quo nunc agimus, excerptus esse. Ejusdem ADAMNANI autem mentionem facit BEDA in *Hist. Eccl.* Lib. V. cap. 16, virum eum vocans *bonum et sapientem et scientia Scripturarum nobilissime instructum.* Eadem quoque ibi referuntur de ARCULPHI peregrinatione et adventu in *Britanniam*, deque eo, quod ADAMNANUS, illo docente et dictante, peregit. Neque tantum hoc opus, quod legentibus utilissimum dicit, sua auctoritate probavit BEDA, verum etiam quaedam ex eo decerpere et Historiae suae inserere operae pretium duxit (1). Ubi tandem addit: «Haec ad sensum quidem verborum excerpta, sed brevioribus strictisque comprehensa sermonibus nostris, ad utilitatem legentium Historiis indere placuit; plura si quem scire delectat, vel in ipso illo volumine, *vel in eo, quod de illo dudum strictim excerpsimus*, *epitomate* requirat» (2).

Quanti autem illius temporis homines ADAMNANI opusculum facerent, intelligimus ex eo, quod BEDA narrat, eum librum suum tradidisse ALFREDO Regi, ad quem a sua gente legatus venisset, hujusque porro liberalitate aliis quoque ejus lectionem concessam esse. Circa annum igitur 701 illud scriptum esse videtur, quo, teste MATTHAEO *Westmonasteriensi*, ADAMNANUS legatus ad

---

(1) Vid. *Hist. Eccl.* Lib. V. cap. 16-18 Edit. Basil. et Colon., cap. 15-17 Edit. SMITH, in qua capp. 8 et 9 unum faciunt; collatis capp. 2, 7, 8 et 9 libri *de Locis Sanctis*.

(2) Vid. l. l. Non igitur satis liquet, quare BEDA in Indice suo hoc opusculum omiserit: an fortasse, quia illud vix suum habere posset? Quod OUDINUS contendit l. l. pag. 1693, libellum in Indice omissum esse, quoniam scriptus esset *post* Indicem confectum, ipsius auctoris verbis refellitur.

ALFREDUM venit (1). Ceterum exstat liber apud MABILLONIUM in *Act. Bened.* Sec. III. Parte II. p. 502.

Diximus igitur de BEDAE opusculis, quae in Indice non memorantur. Nulla vero alia ei opera tuto tribui posse existimo. Etenim, quod Evangelium JOANNIS adtinet, cujus *Expositio*, in Editionibus obvia, a nonnullis auctori illi adscribitur, constat tantum, BEDAM, morbo supremo laborantem, in vernaculam linguam illud reddidisse, ut ex CUTHBERTI discipuli Epistola, quam supra dedimus, clare elucet. De *Expositione* vero JOANNIS, quae in Editionibus Basil. et Colon. Tom. V. legitur, longe aliter res se habet. MABILLONIUS quidem ALCUINUM citat, qui in Praefatione *Commentarii in* JOANNIS *Evangelium* ex Homiliis BEDAE Presbyteri multa se adsumsisse fatetur: nec tamen ipse dicit, Expositionem a BEDA profectam esse (2). OUDINUS contra nihil dubii superesse putat, quin illa ad BEDAM pertineat, testimonium adducens JONAE, Episcopi *Aurelianensis*, LUDOVICI PII aequalis, qui in Lib. I. c. 13. *de Institutione Laicali*, versuum aliquot auctorem BEDAM citat in *Homilia in Evangelium vigesima*, ubi ille *secunda* legendum esse putat, quoniam iidem versus in secundo *Expositionis* capite exstant (3). At vero, quum et ALCUI-

(1) « Hoc constat, dicit SMITH, l. l. in nota, eum ad Regem venisse ante annum 705, quia eo anno rex mortuus est: in re igitur tam obscura MATTHAEI auctoritatem tutus sequor. »
(2) *Act. Ord. Bened.* Sec. III. Parte I. n⁰. 10.
(3) *Comment.* l. c. p. 1696.

NUS et JONAS *Homilias* tantum BEDAE, neutiquam *Commentarium* vel *Expositionem*, memorent, quidni haec desumta esse putemus ex ipsis hujus viri Homiliis? Hinc nempe facile irrepere potuerunt in Commentarium, quem Editiones habent, quisquis ejus auctor fuit, et undecunque sua compilavit. Praeterea, *Expositionem* illam, quamquam BEDAE nomen falso ferret, mirandum non est, a JONA BEDAE tributum esse (1). Equidem prorsus negare non ausim, librum a BEDA profectum esse, nec tamen argumenta et rationes, quae in medium allata sunt, valere putaverim ad eum auctorem dicendum. Et in tanta operum BEDAE copia et varietate praestat, ex nostro certe judicio, cautius discernere, quam spuria admiscere genuinis. Ceterum continet hic liber adnotationes, ex AUGUSTINO maxime, excerptas et in compendium redactas, insertis passim aliorum Patrum sententiis.

Recensioni operum a BEDA conscriptorum finem hîc imponendum esse duximus. Praetermittimus varios minoris ponderis Tractatus et Libellos, qui, ejus nomine inscripti, sive inter cetera ipsius opera, seu separatim in lucem exierunt. Enim vero, si vel minus dubitationi

(1) Neminem latere potest, quantum habeat cautionis ejusmodi Scriptorum testimonium. Sic, ut unum de multis adferam, AMALARIUS Lib. IV. c. 39 et 41 citat BEDAE librum *de vita* S. CUTHBERTI. Verba vero, quae adducit, in neutra hujus viri Vita, a BEDA conscripta, leguntur, at in ea tantum, quam anonymus quidam monachus *Lindisfarnensis* tribus libris, in *Actis Sanctorum* ad mensem Mart. editis, composuit.

obnoxium esset, utrum revera a BEDA profecti sint, nec ne, ejusmodi tamen sunt generis, ut magis exercitationis causa a BEDA juvene, aut fortasse etiam provectiore aetate in usum studiosae juventutis, quam eo consilio, ut posteritati traderentur, scripti esse videantur. Quare eos vix *Operibus* BEDAE adnumerari posse existimem, uti hoc ab ipso etiam auctore factum non esse vidimus.

Adjicimus nunc notas quasdam de ordine et tempore, quo BEDA scripserit, prouti illae ex ipsius operibus colligi possunt.

Secundum ejus narrationem igitur novimus, eum praecipue post tricesimum aetatis annum, i. e. A. 701 vel 702 libros, qui in Indice memorantur, composuisse. Et hos quidem deinceps ab eo scriptos esse reperimus: —

De situ urbis *Hierosolymis*, sive de locis sanctis.

Paulo post annum 701 vel 702 hic libellus ex ADAMNANI opusculo excerptus esse videtur. Vid. quae notavimus, pag. 98. «Epitoma, quod dudum strictim excerpsimus.» *Hist. Eccl.* Lib. V. cap. 18.

De Natura Rerum.

De Temporibus, liber minor.

Finitur quinto TIBERII III. Imperatoris anno, i. e. A. 701 vel 702. «De Natura Rerum et Ratione Temporum duos quondam stricto sermone libellos composui.» Praef. ad librum majorem *de Temporibus.*

Epistola Apologetica, de sex aetatibus seculi.

Scripta est anno 707. «Opusculum meum de Temporibus, quod ante quinquennium edidi.» *Epist. Apolog.* p. 242 Edit. WHARTON.

Commentarius in Apocalypsin JOANNIS.

In Epistolam JOANNIS.

In Actus Apostolorum.

«Post Explanationem Apocalypseos — misi opusculum in Actus Apostolorum, ante non multos dies editum.» — «Misi autem et explanatiunculam Epistolae JOANNIS.» Prologus in *Actus Apostolorum* ad ACCAM.

In Evangelium LUCAE.

«Absens scribendo et conloquendo praesens suggessi, ut post Expositionem Actuum Apostolorum in Evangelium quoque LUCAE scribere digneris.» *Epist. Adhortatoria* ACCAE Episcopi.

In SAMUËLEM, libri tres priores.

Scripti sunt ante mortem CEOLFRIDI, i. e. A. 716. «Et post qualemcunque Expositionem beati LUCAE dictorum, quibus Evangelicos, vel ipsius Domini vel Apostolorum ejus, actus describat, etiam hunc (SAMUËLEM) non minus suis in scriptis Evangelistae, quam Historici functum officio probare satagam.» Praef. ad Lib. I. *in Samuëlem.* «Verum quia sermonem in longum duximus, tertiumque in Expositionem beati SAMUËLIS secundo et primo proliziorem dictavimus librum, — aliquanto censuimus, ob reparandas silentio vires, a labore cessandum.» *In Samuëlem* Lib. III. cap. 10. in fin.

In SAMUËLEM, liber quartus.

Scriptus non multo post annum 716. Vid. Praef. in hunc librum.

Historia Abbatum *Wiremuthensium* et *Girviensium*.

Finitur morte CEOLFRIDI, VII. Kalend. Oct. 716. Edit. WHART. p. 240.

In Evangelium MARCI.

«Expositionem Evangelii beati LUCAE ante annos plurimos, auxiliante Dei gratia, composuimus.» Prologus ad ACCAM.

De Temporibus, liber major.

Desinit nono LEONIS *Isauri* anno, i. e. A. 726. Vid. *Chronicon*.

Historia Ecclesiastica gentis *Anglorum*.

Absoluta est A. 731: «Haec est in praesentiarum universae status *Britanniae*, dominicae Incarnationis anno septingentesimo tricesimo primo.» *Hist. Eccl.* in fine.

Epistola ad ALBINUM.

Scripta anno 731 vel 732. Vid. quae diximus p. 92.

Retractationes in Actus Apostolorum.

Post annum 731 compositae: «Post Expositionem Actuum Apostolorum, quam ante annos plurimos conscripsimus.» Praef. in *Retract.*

Epistola ad EGBERTUM Antistitem.

Data anno 734-735. «Sic per annos circiter 30 h. e. ex quo ALFRED Rex humanis rebus ablatus est, provincia nostra vesano illo errore dementata est.» Edit. WHART. p. 261. Vid. quae notavimus p. 92.

Ceterum, tempore incerto, hoc tantum scimus: — Commentarius in Gen. I. et III. 1-3. scriptus est ante Expositionem EZRAE, et postea aliquanto continuatus ad cap. XXI, 10.

«Produxi opus usque dum ejectus ADAM de Paradiso voluptatis, exsilium vitae temporalis intravit; aliqua etiam de sequentibus Sacrae Historiae scri-

pturus, dum primo librum s. ESDRAE — parumper perscrutatus fuero.» Praef. in *Hexameron*.

Vita CUTHBERTI ligata primum, soluta deinde oratione scripta est.

«Vitam ejusdem aliquanto quidem brevius, sed eodem tamen ordine, heroicis dudum versibus edidi.» Praef. in *Vitam* CUTHBERTI.

OUDINUS, in *Comment.* cap. VIII. p. 1702, rationem proponit Operum BEDAE in posterum edendorum. Tomo igitur primo contineri jubet ea, quae spectant Artes Liberales et Philosophiam, secundo Commentarios in V. T., tertio Commentarios in N. T. et Sermones, quarto scripta ad Historiam Ecclesiasticam pertinentia, denique ultimo, quaecunque dubia aut incerti auctoris sunt, iis omnino exclusis, quae aliis Scriptoribus debeantur. Nos vero existimamus, magis commendandam esse ejusmodi Editionem, quae eundem servet ordinem, quem ipse BEDA in scriptis suis enumerandis secutus est, et ita quidem, ut addantur suis in locis, quotquot, praeter illa, procul omni dubio ad eum pertinere vidimus. Neque a proposito nostro alienum putamus, hîc ostendere, qua ratione nova operum BEDAE Editio instruenda videatur. Quod simul, Indicis instar, librorum, quos nos quidem genuinos habemus, brevem quasi conspectum ante oculos ponet. Breviter quoque notamus, ubi singuli reperiri possint.

TOMUS I.

COMMENTARII IN LIBROS V. T.

Commentarius in Geneseos cap. I. ad XXI, 10.

Oper. Edit. Colon. 1612. T. IV. p. 1-26. — In *Orthodoxographis* et nonnullis *Bibl. Patrum* Editt. sub nomine JUNILII *Afri*. — WHARTON BEDAE *Oper. Theol.* Lond. 1693, p. 1-143. — Idem in *Auctario ad* USSERII *Hist. Dogm.* Lond. 1689, p. 356. — MARTENE *Thes. Anecdot.* T. V. p. 115.

De Tabernaculo ejusque vasis et vestibus Sacerdotum, sive Commentarius in Exod. cap. XXIV, 12 ad XXX, 21.

Oper. T. IV. pag. 838-916.

Comm. in SAMUËLIS librum primum.

Oper. T. IV. p. 167-332.

De Templo SALOMONIS, sive Commentarius in 1. Regum cap. V—VII et 2. Chron. II—V.

Oper. T. VIII. p. 1-52.

In libros SAMUËLIS et Regum triginta quaestiones.

Oper. T. IV. p. 333-347.

Comm. in Proverbia SALOMONIS.

Oper. T. IV. p. 634-713. — Edita etiam inter HIERONYMI Oper. — In cap. XXXI, 10-31 ibidem T. VII. p. 459-467, in libello: *De Muliere Forti*. — In Cap. XXX, 29-31 ibidem T. VII. p. 479, inter *Fragmenta allegoricae interpretationis in Proverbia.*

Comm. in Cantica Canticorum.

Oper. T. IV. p. 714-838.

Comm. in EZRAM et NEHEMIAM.

Oper. T. IV. p. 348-447.

Comm. in Canticum HABACHUCI.

WHARTON in oper. laud. p. 181-214. — Idem in *Auctario* p. 356. — MARTENE in opere laud. T. V. p. 295.

Comm. in librum TOBIAE.

Oper. T. IV. p. 437-447.

TOMUS II.

COMMENTARII IN LIBROS N. T.

Commentarius in Evangelium MARCI.

Oper. T. V. p. 92-213.

Comm. in Evangelium LUCAE.

Oper. T. V. p. 218-451.

Homiliae Evangelii.

Codices duo MSS. Bibliothecae *Colbertinae* a MABILLONIO inspecti. Vid. *Act. Ord. Benedict.* Sec. III. P. I. 556 n°. 31. OUDINUS *de Script. Eccl.* T. I. p. 1699. — Cff. Homiliae in Oper. T. VII. p. 1-369, seorsum editae Parisiis et Lovanii. — MARTENE in oper. cit. Tom. V. p. 317.

Comm. in Actus Apostolorum.

Oper. T. V. p. 625-666.

Retractationes in Actus Apostolorum.

Oper. T. IV. p. 1-28.

Adnotationes in Epistolas PAULI, ex AUGUSTINO excerptae.

Codices duo MSS. a MABILLONIO reperti. Vid. *Analect. veter.* Edit. nov. Parisiensis p. 18 et p. 488 seqq.

Comm. in Epistolas Catholicas.

Oper. T. V. p. 673-760. — In easdem Prologus in CAVEI *Hist. Lit.* Sec. VIII. p. 614.

Comm. in Apocalypsin JOANNIS.

Oper. T. V. p. 761-816.

TOMUS III.

LIBRI VARII AD HISTORIAM, CHRONOLOGIAM, LITERAS PERTINENTES.

Liber Vitae et Passionis FELICIS Confessoris.

Oper. T. III. p. 185-190. — *Acta Sanctorum* Antv. 1643. T. I. p. 943. — SMITH BEDAE *Oper. Hist.* Cantabr. 1722.

Vita CUTHBERTI Episcopi, versibus hexametris.

CANISIUS *Lect. Antiq.* Edit. nov. T. II. init. — MABILLON. *Act. Bened.* Sec. II. — SMITH in opere laud. — Loca quaedam apud BARTHIUM, Advers. III. 19.

Eadem Vita soluta oratione descripta.

Oper. T. III. p. 152-185. — MABILLON l. c. Sec. II. — SMITH in oper. laud.

Historia Abbatum *Wiremuthensium* et *Girviensium*.

WARAEUS, Dublin. 1664. — WHARTON Lond. 1693, p. 221-240. — SMITH in oper. laud.

Historia Ecclesiastica gentis *Anglorum*.

Oper. T. III. p. 1-151. — Argentini 1500. Hagenaviae 1506. — Seorsum Argentini 1514. Antverpiae 1550. Lovanii 1566. Coloniae 1601. — Hei-

delbergae et Lugduni 1587, in *Collectione Scriptorum rerum Anglicarum.* — Inprimis Editt. WHELOCI, Cantabr. 1644, CHIFFLETII, Parisiis 1681, SMITH in oper. laud., et STEVENSON, Lond. 1838.

Epistola ad ALBINUM.

MABILLON. *Analect. veter.* Edit. nov. p. 398.

Libellus de situ urbis *Hierosolymis*, sive de locis sanctis.

Oper. Tom. III. p. 487. — SMITH in oper. laud. — Ejus pars in BEDAE *Hist. Eccl.* Lib. V. cap. 17 et 18.

Martyrologium.

HENSCHENIUS in *Act. Sanctor.* T. I. Januar. p. 40, et Prolog. ad mensem Martii T. II. § 5 seqq. — SMITH in oper. laud. — ECKARTH *Comm. de rebus Franc. Orient.* Wirceb. 1729. T. I. p. 829, 830.

Liber Hymnorum.

CASSANDER Parisiis 1556. Ejusdem Opera ibid. 1616, p. 195 seqq. — SIMEON *Dunelm.* apud *Hist. Angl. Script. X.* — WERNSDORFII *Poëtae Lat. min.* T. II. p. 239-244.

De Natura Rerum.

Oper. T. II. p. 1-42. — Separatim Basileae 1529.

De Temporibus, liber minor.

Oper. T. II. p. 118-124. — COLOMESIUS *Paralipom. de Script. Eccl.* p. 220.

De Temporibus, liber major.

Oper. T. II. p. 43-103. — ECKARTH in *Comment.* laud. T. I. p. 825. — Contractum illud edidit DU CHESNE *Script. Franc.* T. III. p. 125-129. — Ejus partem, quae *Chronicon* dicitur, vid. inter Opera Tom. II. p. 103-117. Venetiis 1505. Parisiis 1507. Basi-

leae 1529. A BRONCHORSTIO edit. Colon. 1537. SMITH in oper. laud.

Epistola Apologetica, de sex aetatibus seculi, ad PLEGWINUM.

WARAEUS Dubl. 1664. — WHARTON Lond. 1693, p. 241-251.

Epistola de Aequinoctio, juxta ANATOLIUM, ad WICHREDAM Presbyterum.

Oper. T. II. p. 230-232.

Liber de Orthographia, alphabethi ordine distinctus.

Inter PUTSCHII *Grammaticae Latinae auctores antiquos*, Hanov. 1605, p. 2327-2350.

Liber de Metrica arte.

Oper. T. I. p. 25-42. — PUTSCHIUS in op. cit. p. 2350-2383. — CASSANDRI oper. Paris. 1616.

Liber de Schematibus, sive de Tropis.

Oper. T. I. p. 42-53. — PITHOEI *Rhetores* p. 342-355. — Seorsum Venetiis 1522. — A BARTHOLOMAEO *Westheimero* edit. Basil. 1536. Parisiis 1599.

Epistolae BEDAE ad EGBERTUM Antistitem, de CHRISTI Praesulis officio.

WARAEUS Dubl. 1664. — WHARTON Londin. 1693, p. 252-267. — SMITH in oper. laud.

Praeter BEDAE scripta in lucem jam prolata ingens Codicum MSS. numerus, qui ejus nomen inscriptum habent, in plurimis *Angliae* Bibliothecis exstat, ut, ne plures nominemus, in praeclara illa Collectione *Harleiana*, quae in *Museo Britannico* est, *Oxonii* itidem et *Cantabrigiae*, cum in Bibliothecis Academiarum tum inter collectiones librorum in Collegiis haud paucis. Hos

vero, quod libros jam editos adtinet, ab editore operum BEDAE omnino inspiciendos et consulendos esse, non opus est quod dicamus, nec tamen hinc sine exacto judicio aliquid sumendum est, quod BEDAE nomine in lucem proferatur. Multas quippe cautiones res habet, quum plerorumque fides valde suspecta sit (1).

Jam recensitis BEDAE operibus, admiratione profecto nos adfici sentimus viri, qui, quamvis ignoto fere terrarum angulo latens, plurimis et pro illa aetate splendidissimis ingenii et industriae monumentis perennem sibi nominis famam comparavit. Diligentia quidem et assiduitate, quibus animum ad studia adplicabat, nemini ulli secundus fuit, donec inter docendos discipulos spiritum redderet. «Sepulta est cum eo, ait GULIELM. *Malmesb.*, rerum gestarum omnis pene notitia usque ad nostra tempora. Cum enim pigro semper succederet pigrior, multo tempore in tota insula studiorum detepuit fervor.» (2). Neque igitur miramur, quod per multos postea annos, quum turpissima ignavia et, ut ita dicam, torpor totum literarum orbem invasisse videbatur, ejus exemplum a melioris indolis viris ad imitationem aliis proponeretur. Memorabilis eo nomine prae ceteris est Epistola ALCUINI, CAROLI MAGNI Praeceptoris, scripta ad Fratres ejusdem monasterii, quod BEDAM viventem intra muros suos habuerat, et, quidquid gloriae et existimationis consecutum esset, ei soli debebat.

(1) Cf. CAVEUS *Hist. Lit.* p. 476.
(2) *De Gestis Reg. Angl.* Lib. I. c. 3.

«Recordamini, inquit, quam nobiles habuistis Patres, et non sitis tantis progenitoribus degeneres filii.... Adsuescant pueri laudibus adstare superni Regis, non vulpium fodere cavernas, non leporum fugaces sequi cursus.... Discant pueri Scripturas Sacras, ut, aetate perfecta veniente, alios docere possint. Qui non discit in pueritia, non docet in senectute. Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum, BEDAM Presbyterum, quale habuit in juventute discendi studium, quam nunc habet inter homines laudem: multo majorem apud Deum remunerationis gloriam. Illius igitur exemplo dormientes excitate animos. Magistris adsidete, aperite libros, perspicite literas, intelligite sensus illarum; ut et vosmet ipsos pascere, et aliis spiritalis vitae praebere valeatis decus» (1).

Neque ullum superest dubium, quin plurima fuerint BEDAE erga suam aetatem merita. Discipuli, ex ejus schola profecti, habebantur optimi maximaque fruebantur auctoritate (2). Ejus scripta in omnes terras propagata sunt, et a doctissimis et illustrissimis in Ecclesia viris norma et regula credendi docendique existimabantur. Ex BONIFACII, *Germanorum* Apostoli, Epistolis novimus, quam aegre ille in difficili labore, quem sus-

(1) ALCUINI Opera Lut. Par. 1617. Epist. 49, ad Fratres *Wirensis* et *Girviensis* ecclesiae, p. 1565. Vid. etiam MABILL. *Annal.* Tom. II. p. 310, n°. XXVIII ad annum 793. Est autem haec Epistola, quam memoravimus p. 21.

(2) Sic in *Chronicis metropol. Areletensis*, citatis a BROMTON in *Chronicis*, ALCUINUS dicitur in omnibus Scripturis exercitatus, ut discipulus BEDAE. Apud Script. X. col. 817. ALCUINUM tamen BEDAE discipulum non fuisse probavimus p. 45 not. 2.

cepisset, BEDAE operibus careret (1). Quemadmodum autem omnium temporum homines magnis eum laudibus extulere; sic nuper LAPPENBERGIUS (2) tantopere eum

---

(1) Epist. 150 et 85. BARONIUS easdem descripsit ex Cod. MS. *Rerum Venet.* ANDREAE DANDULI, num. 15 et 44. Vid. *Annal.* l. c. n°. XXVII et XXIX. Altera scripta est ad CUTHBERTUM, Abbatem monasterii BEDAE, altera ad EGBERTUM, Archiepiscopum *Eboracensem*, BEDAE amicum.

(2) »Doch Keiner,» inquit, «verleiht jenem Zeitalter des weisesten Königs (Aldfrid) gröszeren Glanz als der eben genannte Mann, welchen der Name des Ehrwürdigen schmückt, welcher encyklopädische Kenntnisse mit seltner Gründlichkeit umfasste.... Musz es uns auch bei Betrachtung seiner gelehrten Werke sehr deutlich werden, dasz jene Zeit mehr Bildungsmittel, sowohl in Handschriften als gelehrten Geistlichen, besasz, als wir ihr zuzuschreiben pflegen; müssen wir in ihm auch mehr die hohe Bildung der römischen Kirche als angelsächsische Nationalität anerkennen: so verbürgt die Anerkennung, welche seine Verdienste noch bei seinem Leben in Rom und bald darauf, so weit gelehrte Kenntnisse vordringen konnten, fanden, dasz wir in BEDA mit Recht ein Wunder seiner Zeit verehren. Seine vielen theologischen Schriften, seine Erläuterungen zu den Büchern des alten und neuen Testaments haben viele Jahrhunderte hindurch in jedem Kloster Europas, bis zu der gänzlichen Umgestaltung auch dieser Wissenschaft, Leser und Abschreiber gefunden; seine Kunde der griechischen Sprache, der Medicin, der Astronomie, der Metrik diente ihm zur Belehrung seines Zeitalters. Sein Werk von den sechs Lebensaltern der Welt ist die, nur zu oft schlecht benutzte, Grundlage der meisten Universalchroniken des Mittelalters geworden. Doch das grosze Verdienst welches seinen Namen auf jedes kommende Zeitalter bringen wird, beruht auf seinen historischen Werken, soweit sie sein Vaterland betreffen. Wenn noch ein zweiter ähnlicher Mann in seinen Tagen vorhanden gewesen wäre, welcher mit demselben klaren, umsichtigen Blicke, derselben treuen und frommen Gesinnung die weltlichen Angelegenheiten seiner Vorfahren hätte beschreiben können, wie BEDA vorzugsweise von denen der Kirche schreibt, so hätte die Geschichte Eng-

praedicavit, ut me non poeniteat, nonnihil operae in vitam et scripta ejus impendisse.

---

lands für die Nachkommen beinahe als eine Offenbahrung über das germanische Alterthum erscheinen dürfen». *Geschichte der europäischen Staaten*, *herausgegeben von* A. H. L. HEEREN *und* F. A. UKERT. — *Geschichte von England von* J. M. LAPPENBERG, Hamb. 1834. I Band p. 204 seq. — Ceterum de BEDAE operibus judicia legi possunt apud TRITHEMIUM et SIXT. *Sinens.* in opp. laud., POPE BLOUNT *Censura* l. c., Scriptores *Biogr. Brit.* in notis, RICH. SIMONIUM op. cit., BRUCKERUM *Hist. Crit. Phil.* Lips. 1766. Tom. III. p. 577, alios. « To Venerable BEDE we are indebted for the first real introduction of the use of the Christian aera, in his elaborate History. It had been first invented by Denis, called the little, in the year 526, but was not brought into established use till the Council of Leptine, A. D. 743. » EDW. KING *Munimenta antiq. or observ. on ancient castles, including remarks*, cet. HENAULT Vol. I. p. 41.